



1584










fienus de imaginaoe

Tres rare

coll. complete

FRANCISCI DV PORT, CRESPEIENSIS VALESII, DE SIGNIS MORBORVM libri quatuor.

CVM EIVSDEM AVthoris *annotationibus : in quibus signi cuiusque causa traditur.*



PARISIIS,
Apud Dionysium Duvallium, sub Pegaso, in vico Bellovaco. 1584.

Cum privilegio.





AD IACOBVM GVESLÆVM, REGIS IN SACRO CONSESSV CONSILIARIUM, & generalem eius cognitorem, Franciſcus du Port, Creſpeienſis Valeſius.



Merouæo, cæteriſq; deinde numeroſa ſerie Gallicis regibus, paucos admodũ, ornatiſsime Gueſlæe, legimus, in ſcribendo ſibi peperiſſe gloriam. Hoc ideo contigiſſe putem, quòd priſci illius ſeculi principes, vel de tuendis propagandiſve finibus, vel augẽda religione ſolliciti: vel etiam otio nimio torpẽtes, eorum curam non geſſere, quorum ingenio poterant omni ſeculorum memoria commendari. Verùm, ab eo tempore, quo Franciſcus Valeſius, huius nominis primus, tutor, fautórque Muſarum, in regnum aſcitus eſt, tantus ad hunc vſ-

que diem ſcriptorum in Gallia chorus emerſit, vt illi poßint cum fœcunda Myrmidonum origine numero contendere. Quorum voluminibus recondendis Ptolemæi Philadelphi bibliotheca non ſatis ampla ſit: nec emendis, ab Alexandro Magno reperta Darii gaza ſufficiat: aut à Paulo quondam Æmilio Perſei victi ſupellex, in Romanum ærarium tranſlata. Sed ſæpe fit, vt ſine numis, ſine domo ſint, qui literis omnino vacant. Quare prægnantibus librorum ſarcina bibliopoliis, paucíſque, virorum illuſtrium ſcripta legentibus, contingit immenſas eorum vigilias intermori: quíque ſyderibus, & cælo digni erant, eos Cimmeriis offundi tenebris. Id quidem me ſæpius à ſcribendo deterruit, cogitãtem porrò quàm multi ſint ex Pariſienſium medicorum, ex quo ſum, ordine, qui me non ſedulitate, nec induſtria forſan, at ingenio longè ſuperent. Verùm enimuero, quum ab annis decẽ Hippocratis aphoriſmorum opus, à me poema factum, non modò legi audiam, ſed etiam non improbari, tentare ſum auſus aliud. Quod, quia poßit me ſolo tuente periclitari, maioris cuiuſdam indiget patrocinio. Poteram equidem ad aulicos, eóſque, quos noui, maximi nominis confugere: quorum lanceis, vt Teucer Aiacis clypeo, tectus, hoſtium infenſa

ſa tela vitarem. Hîc verò, non Vulcani, Martiſve, ſed Palladis arma quærenda ſunt. In quibus, tam fœlix fauſtúſque fuit ingreſſus, mi Gueſlæe, tuus, vt primis annis non tyro, ſed triarius inter eruditos habereris. Ideo mirentur cæteri, quòd adoleſcens eam prouinciam ſubeas in ſupremo ſenatu Pariſienſi, quam ſenes olim, in iure dicundo plurimum experti, ſuſcipere quondam erubuerunt. Ego, qui mores incorruptos, acumen ingenii, facundiam, linguarum & artium varietatem in te noui, Regis & Senatus cenſuram admiror, qui ſummi procuratoris dignitatem tibi conceſſerũt, dignum ſpectatæ tuæ doctrinæ præmium, & eximiam, licet grauem, ad ciendas in poſterum virtutes heroicas cotem. His, vt tibi publicè gratuler, libellos in medicina quatuor, quibus DE SIGNIS MORBORVM nomen impoſui, prelo datos, nomini tuo committo, voueóque, pignus amoris erga te mei ſingulare. Quos, vt ſpero, Ioannis Gueſlæi, præſidis æquiſsimi, chariſsimi parentis tui (per quem tu mihi primùm notus es, & olim ad inſtituendum traditus) vnicè commendabit, ac tuebitur authoritas. Titulus quidem operis inauditus non eſt, ſed noua ſcribendi ratio: & vt noua, ſic ardua: quemadmodum agnoſcere poterit, quiſ-

quis medicus poeta quid ſimile fuerit aggreſſus. Sed ſi fructum aliquem ex hiſce lucubrationibus meis eſt collectura poſteritas, illum tibi referat acceptum, cuius auſpiciis fretus, eas in apertum lucémque profero. Vale. Pariſiis, Calend. Februar. Anno 1584.



FRANCISCI DV PORT CRESPEIENSIS *Valesii, De signis morborum libri primi Prooemium.*



[1]IGNA, quibus genitos humano in corpore morbos
Agnoſcit Pæon, mihi nunc aperire volenti
Des animum: ſiquidē, ſine te, Deus alme, receſſus
Corporis illius, cuius [2]mirabilis author
Exiſtis, tentare nefas, & noſſe prophanum.
Tu ſolus teneris [3]medicam vim ſuggeris herbis,
Eque mari, tellure, polo mortalibus ægris
Cuncta ſalutifera largiris munera dextra.

1 Quod noſtris ſenſibus obuium, nos in alterius cujuſpiam latentis & occulti cognitionem deducit, id ſignum eſt. Quod in medicina neceſſarium, quia plurimi ſunt affectus in intimo corporis receſſu conditi, qui quum nullis ſenſibus percipi queant, ſolis ſignis intelliguntur. Sunt autem genera ſignorum omnino triplicia: nempe cruditatis & coctionis, ſalutis & mortis, & criſima, ſeu decretoria. Quorum nonnulla ſalubria, vt quæ coctionis & ſalutis ſigna ſunt: inſalubria quædam, vt cruditatis & mortis: Alia neutra, qualia ſunt criſima: quæ ſi coctionis ſigna præceſſerint, ſalutem; ſin cruditatis,

mortem indicant. Insalubrium alia morbi speciem declarāt, alia sedem affectam, alia morbi causam. Et in vnoquoque genere nonnulla propria sunt & inseparabilia, pathognomonica dicta Græcis, essentiam morbi comitantia: Quædam asſidentia, & communia. De omnibus his libris agitur.

2 Hoc Galenus, quamuis de Deo perperam sentire vulgo creditus, fatetur multis quidem in locis, sed inprimis opere De vsu partium. Id enim dicare se Deo velut hymnos quosdam ait, quòd eius sapientiam, virtutem, prouidentiam, bonitatem admiretur in humani corporis admirabili structura. Cuius contemplationem, perfectæ theologiæ, quæ medicina major est, principium statuit.

3 Quod Apollini, seu Phœbo, qui Sol est physicis, poetæ tribuunt, longè melius id nos astruimus rerum omnium cōditori. Quanquam enim vtrumque verum est, Solque vim herbis ingenitam suo vigore suscitat, id tamen nec primò, nec per se facit, sed ab eo nactus potentiam, qui verbo condidit omnia. Cuius immensum numen quum vt in hoc opere, sic in omni re nobis, sontibus licet, fore propitium speremus, ab hoc exordiri dignum duximus, eumque medicinæ principē statuere, ministrum autē eius medicum: qui vi mētis & intelligentiæ Diuini numinis opera scrutatur, quæque sunt in huius aut illius morbosi corporis commodum vsumque cessura prospicit, eaque seligit, & nocitura vel segregat, vel ita commiscet, vt interdum ex lethali veneno salubre componat alexiterium.

SIGNA [1]PERFECTÆ SANITATIS.

CAPVT PRIMVM.

QVISQVIS in arcanum descendit Apollinis antrum,
Phœbigenæque senis sacram festinat in ædem,
Arceat vt querulos hominū de corpore morbos:
Inquirat primùm tranquillæ signa salutis.
Namq; salus, scopus est, in quo medicina quiescit.
[2]Floridus ergo color, [3]facilis spiratio, sensus
Integer ac motus, pulsusque sine ordine nūquam
Tactus, & à placido lux non ingrata sopore:
Vesicæque serum, media consistere forma

Quod

Quod ſolet, & croceo perfundi ſæpe colore.
Idque, quod excludit ſolers natura per aluum,
Molle, figuratum, nec tetri vllius odoris.
Denique quæque ſuæ ſic libera functio parti,
Vt dolor in nullos quiuis ſe porrigat artus,
Sanorum ſunt iſta notæ, contraria morbi.

1 Medicinæ duæ ſunt primæ ſummæque partes: vna tuendæ ſanitatis, altera morbi profligandi. Quorum officia ſunt quidem inter ſe contraria: quum illi ſit propoſitum tueri, huic immutare ſtatum corporis. Sed vtriuſque facultatis inueniendæ communis ratio, quum nec ſanitatem præſentem ſeruare, nec amiſſam reſtituere poſsis, ſi quid ipſa ſit, quid morbus, ignores. Ideo nos morborum ſpecies ſuis notis hoc opere diſtincturi, ſanitatis (quæ morbo dignitate prior eſt ac tempore) ſigna præmittimus. Sanitas quidem eſt duplex: optima, quam habitum ſimpliciter bonum appellat *Galen⁹, & vitio proximè expoſita, qualis eſt Athletarum conſtitutio. Prioris hoc, poſterioris ſequenti capite notas exponimus.

** libro de optimo corporis habitu.*

2 Floridus color, i. velut ex albo rubroque mixtus, fit à quatuor humorum ſymmetria. Quanquam enim hîc major eſt quantitas ſanguinis, quàm vel pituitæ, vel bilis, nullius tamen dominium exiſtit, ſed quaſi iuſtitiæ ritu quatuor humores inter ſe confuſi, corpus εὔκρατον ſtatuunt. Ideo ſanitas inculpabilis, quã hoc capite deſcribimus, habitus eſt omnium tutiſsimus.

3 Quæ ſequuntur, trium principiorum optimam conſtitutionem renuntiant. Senſus quidem ac motus integer, tranquillus ac ſuauis ſomnus, cerebri: ſpiratio facilis, ac pulſus æqualitas, cordis: vrina cum alui fecibus laudabilem nacta colorem & conſiſtentiam, hepatis, & partium naturalium: indolentia verò, & cuiuſque partis facultatum integritas, nec intemperie, nec ſolutione continui, nec alio quouis præter naturã affectu detineri corpus indicat.

SIGNA [1]PLETHORÆ.

CAPVT SECVNDVM.

SANGVIS vbi peccat, venæ[2]tenduntur, &[3]artus,
Inceſſus[4]grauis eſt, ſomn⁹[5]grauis atq;[6]ꝓfund⁹,
Et ſudor,[7]vultúſque rubor,[8]plenúſque,[9]poténſque

Pulsus, & ex minimo sequitur[10] dyspnœa labore.
Vena resecta[11] leuat, [12] tenuis potúsque cibúsque.

1 Plethoræ, seu plenitudinis nomine, sanguinis, seu quatuor humorum in sanguine contentorum redũdantiam intelligimus. Quæ non præsentem quidem, sed imminentem morbum denunciat. Hinc eorum qui tali plethora turgent (quales Athletæ sunt) habitum solui iubet *Hippocrates.

* Aphor. 3. libro 1.

2 Cum obtuso doloris sensu.

3 Turgentes enim præ copia venæ majores, se in minores exonerant, vnde musculosas partes impleri distendiq; cõtingit.

4 In plenitudine vasorum, de qua præsertim sermo hic audiendus est, sanguis omnem venarum capacitatem occupans, ꝑindeque nec meabilis nec difflabilis crassescit, & præ põdere partes inferiores magis affectat. Hinc tibiarum musculi crasso multoque sanguine pleni laboriosiùs incessum promouent, fitque spontanea lassitudo.

5 Vaporibus multis ex sanguine in cerebrum à toto corpore meantibus. Qui quũ mediocres existunt, placidus obrepit somnus. Sin exuperent, capitis grauitatem, & oculorũ dolorem interdum inuehunt.

6 Ob continuum vaporum ascensum.

7 Omnis color, similis humori cujus dominatu corpus tenetur, efflorescere solet, cùm in omni cute, tum in facie. Hæc enim quum tenuis raraque sit, vapores sursum elatos prõptiùs & faciliùs excipit. Quamobrem in plethora rubet facies, quia sanguis, colore ruber, exuperat.

8 Nam venæ pleniores ex copia sanguinis quem continent, nonnihil per anastomosin transfundunt in arterias, nisi humores admodum crassi viscosique sint.

9 Quum enim multus existat sanguis, multi quoque sunt spiritus. Est namque spirituum materia sanguis.

10 Musculi quippe thoracis ex copia sanguinis pigri respirationis difficultatem inducunt. Est autem respiratio frequentior ob vsum: minor, quoniam arctatur interna thoracis capacitas.

11 Plethoram soluendo depletione vasorum.

12 Quo non tantum influit substantiæ, quantum effluit, sicq; plenitudo minuitur.

SIGNA

SIGNA FLAVÆ BILIS EXVPERANTIS. CAPVT TERTIVM.

SI quando ſuperat bilis,[1]color ictericorum
Aſſimilis tingit[2]corpus,cutis[3]aret, &[4]acer
Tangenti calor eſt,nec[5]hypoſtaſis vlla micanti
[6]Citrinoque ſubeſt*lotio,[7]durúſque,[8]frequénſque
Sentitur pulſus,[9] vehemens,[8]veloxque :[10]furoris
Somnia plena vigent, omníſque[11]excretio bilis
Vtilis eſt, ægrumque[12]leuat: ſunt frigida[13]cordi.

*Quo authore primam hujus dictionis corripiamus, annotauimus in Aphoriſmis.

1 Pallidus, flauus, aut citrinus.

2 Corpus quidem omne, ſed præſertim faciem & oculos. In his enim partibus color ictericius magis elucet. In oculis quidẽ ob natiuum adnatæ candorem, cujus alteratio vel minima viſu detegitur: in facie verò ob raritatẽ ac tenuitatem ejus loci cutis.

3 Ex humoris calidi ſiccique (ex quo ſiccum & gracile corpus eſt) dominio. Cutis autem naturaliter conſtituta quum optimè temperata ſit, ex carne molli, neruoque duro conſtans: proindeque duri mollíſque,& humidi ſiccique medium occupauerit, exceſſus cuiuſque continuò fit particeps: vt ex eius contactu liceat de corporis vniuerſi temperamento iudicare.

4 Bile dominante calor tactu perceptibilis eſt. Tenuiſſimus enim is humor facillimè cutim afficiat: qui acer eſt, ob caloris exuperantiam.

5 Craſſior vrinæ portio caloris inſiti vi ſecreta, hypoſtaſis eſt. Quum autem bilis tenuiſſima ſit, ea reliquos humores in corpore ſuperante materia craſſa vel nulla, vel pauca eſt. Vnde ſequitur vrinam quæ tunc exernitur, aut nullum, aut exiguum habere ſedimentum.

6 Bilis qualitatem retinente ſanguinis ſero.

7 Ob arteriarum ſiccitatem. Vt enim carnoſæ partes, ita ſolidæ retinent vincentis qualitatis impreſſum veſtigium.

8 Vſu ſic exigente. Quum enim vitalis facultas ab acri multóque calore lancinetur, frequens requirit refrigerium.

9 Ex acri qualitate birioſi ſanguinis,& ſpirituũ vitaliũ robore.

10 Bile in cerebrum effuſa,cujus calore motuque ſpiritus feruent ac incenduntur.

11 Bilis, ſi non excernitur, & in cerebro reſidet, vigilias excitat,& deliria, rixarum & iracundiæ plena. Si in ore ventriculi,

ſitim, nauſeam, inappetentiam, oris amarorem, animi defectionem parit: vt in inteſtinis diarrhœam, ac dyſenteriam. Hãc igitur exuperantem excerni vel ſponte, vel cholagogo pharmaco, quale Rheum eſt, diaprunum, caſſia, perutile, morbi metu, qui ex retentione conſequeretur, ſi iam ipſa morbum non facit.

12 Refrigerato corporis habitu.

13 Quia ferocientem bilem compeſcunt, eam alterando.

SIGNA MELANCHOLIÆ DOMINANTIS. CAP. 4.

F[1]VSCVS ei color eſt, nigra qui bile redundat,
Corporis &[2]gracilis totius, &[3]arida moles,
[4]Horridus aſpectus, [5]vaga mẽs, [6]nõ garrula lingua,
[7]Ingenium ſolers, &[8]mœror acerbus, &[9]horror
Exanguis, trepiduſque[8]pauor, qui nocte ſilenti
Sæuior inſurgit, [10] ſpectris & commouet atris.
Sæpe[11]canina viget, [11]citò nec ſedatur, orexis
Et ructus fiunt acidi, pulſatio[12]rara
Lentaque: quodque ſerum madidis é renibus exit,
Albicat, ac[13]tenue eſt, interdum[14]liuet, & atrum
Cernitur, & craſſum. Cibus hinc, qui flatib⁹ implet,
Sit procul: [15]euchymus tantùm laudatur, & illa
Pharmaca ſola iuuant, ducunt quæ[16]nigra per aluũ.

1 Obſcurus & nigricãs, humoris melancholici tenuiſſima portione è venis in cute effuſa. Quod eſt in Ictero nigro conſpicuũ.

2 Gracilitatis cauſæ ſunt victus, & humorum tenuitas, raritas corporum, curæ, digerentis in corpus, vel nutrientis, vel ambarum facultatum naturalis imbecillitas, & inteperies ſicca. Poſtrema graciles facere ſolet melancholicos, vt & curæ, perpetuò ferè comites.

3 Corpus melancholicorum vtplurimum exuccum eſt & aridum: quum ejus partes alantur aduſto, feculentoque, ideo ſicciore ſanguine.

4 Non aſpectus tantùm, ſed & vultus melancholicorum horridus eſt, quia rugoſus, ob temperamenti ſiccitatem.

5 Ob

5 Ob agitationem spirituum animalium. Agitantur verò spiritus à flatibus (quorum in melancholicis maximus est prouentus) ex toto quidem corpore suscitatis, sed potissimùm è præcordiis.

6 Sermo, mentis nuncius est ac interpres: sermonis primum organum, lingua. Quum verò melancholicorum mens varia rerum imagine confusa sit, hique omnia tuta metuant, non mirum, si taciturni sunt, quæruntque latebras, vitantes hominum consortia.

7 Nam intelligentiæ causa siccitas est. Ideoque dicebat Heraclitus splendorem siccum animum esse subtilissimum. Imprimis autē ingeniosi sunt melancholici, qui ab adusta bile contraxerunt habitum.

8 Mœror, est opinio mali præsentis; vt futuri, metus. Vtriusque causæ multæ sunt. Sed in melancholicis, qui hos affectus perpetuò comites habent, vna est spirituum obscuritas. Vt enim spiritus splendidi recreant, speque beant animum: ita caliginosi deiiciunt, sine rerum expectatione meliorum.

9 Spirituum ac humorum à flatibus concitatiore motu per sensibilia corpora: vel à refrigeratione sanguinis. Hinc enim horrorem fieri scribit * Hippocrates. *libro 1. de Morb.

10 Talia sunt, squalidorum hominum, vt vinctorum phantasmata, mortuorum è sepulcro surgentium fictæ voces, hæque lugubres: fumorum, rerumque nigrarum imagines, & alia generis eiusdem, metus mœstitiæque plena. Quorum causa est fuliginosus aterque vapor ex subditis partibus in mentis sedem irrepens, aut ibi genitus.

11 Ab imbecillo ventriculi calore, cibos mutante quidem at non vincente. Vel potiùs ab excremento melancholico, quod flatulentum est, è liene sese in ventriculum insinuante. Quod quum acidum manet, & in ventriculi superius os effertur, appetentiam ingentem, vt sæpe caninam, excitat. Quum autem corrumpitur, eādem deiicit, atque prosternit. Non autem id citò corrumpitur, quum acidum sit: ideoque melancholici solent esse famelici.

12 Ab intemperie frigida sicca tum cordis, tum corporis arteriarum.

13 Obstructis renibus, aut imbecilla coctione.

14 Lien, melancholici succi copia turgens, exonerat sese per intestina, vel per vesicam. Per intestina quidem, naturaliter: per vesicam verò, veluti modo critico. Quam viam quum affectat solutis obstructionibus, vrina crassa est, insuperque livida, virescens, aut nigra. Qui colores non periculum denunci-

ant in iis quibus antè lien intumeſcebat, aut alius quiſpiam melancholicus erat affectus: ſed aliquando morbi ſolutionem, vt in quibuſdam experti ſumus: aliàs, malum. Vireſcens enim & liuidus color imbecillitatem ſummam natiui caloris, niger extinctionem portendit. Quod certiſſimum eſſe putes, ſi ſit, vel præceſſerit acuta febris, & tenuis vrina cernitur.

15 i. boni ſucci, qualis eſt pullorum gallinaceorum, & Indicorũ, vitulique caro: panis ſiligineus, aut ſimilaceus: & vinum, generoſum quidem ac lene, ſed lympha dilutum. Id enim inter cibos referre cum * Galeno placet, quum alat citiſſimè. Adde quòd, ſi quibuſdam naturis, melancholicis imprimis conducit vinum. Nam mœrorem diſcutit, quia cardiacum: & nigrum aridumque temperat humorem, quia calidum humidum.

*lib. 3. de Aliment.

16 Quæ melanagoga Græci vocant, qualis eſt ſenna: & in durioribus naturis, ſi vires ferunt, & contumacior affectus eſt, cõfectio quæ dicitur Hamech. Per hæc enim & ſimilia cum delectu purgantia ſublata cauſa, ſymptomata conquieſcunt.

PITVITÆ SVPERANTIS INDICIA. CAPVT 5.

QVVM pituita grauat, cutis[1] albicat, humet, & [2] alget,
Corporis & ſeſe niuea[3] pinguedine moles
Porrigit, vrinæ[4] pallent, meiuntur & albæ,
[5] Molleſcit[6] paruo lentoque arteria pulſu,
Mens[7] hebes eſt, ſenſuſq; grauis, ſomnúſq; ꝓfund[9].
Phlegma[8] ſubire vias, queîs ſe natura repurgat,
Vtile: conueniunt[9] calidi potúſque cibíque.

1 Interdum etiam plumbi colorem refert, & liuet, imminuto, fereque penitus oppreſſo calore natiuo ob pituitæ copiam.

2 Quia frigidum & humidum eſt illius, vt totius corporis temperamentum.

3 Adeps fit ex pinguiore ſanguinis portione per tenues venas frigidis exãguibúſque membranis affuſa, quarum vi olei craſſioris inſtar cogitur. Cuius magnam copiam pituitoſi congerunt. Illis quippe minor eſt cordis reliquarũque partium calor, quàm qui humidum pingue, quod in eorum ſanguine copioſum eſt, poſſit

poſſit reſoluere.

4 Si tenues etiam ſunt, magnam cruditatem denunciāt: pallidæ quidem, minorem: albæ, majorem. Aliquando verò craſſæ turbidæq; cum multo ſedimento viſuntur, ex materiæ pituitoſæ copia.

5 Ex humido corporis totius temperamento.

6 Paruus eſt pituita dominante pulſus, ob frigidum cordis, vt & iecoris, temperamentum: vnde venæ arteriæq; ſunt exiles, paucumque continent ſanguinem. Tardus verò, quia minima motus arteriarum neceſſitas eſt.

7 Humidiore cerebro quàm par ſit. Enimuero, ſi totum corpus ex pituitæ dominio redditur humidum, multo magis cerebrum, pituitæ fons & ſcaturigo.

8 Motu naturæ, vel phlegmagogo cathartico: cuius generis exiſtunt agaricus, electuarium diacarthami, diaphœnicon, & alia non pauca.

9 Qui contrariis qualitatibus humorem impenſe frigidum humidumque temperāt.

HVMORIS AQVOSI NOTÆ.

CAPVT SEXTVM.

CORPVS aqua prægnās[1] pallet ſine flore colo-
Illiúſq; cutis nōnunquā[2] œdemate molli (ris,
Laxatur, digitique refert inſigne prementis.
[3]Fluctuat abdomen, turgent[4] faciéſque, manúſque.
Inſtar[5] aquæ lotii color eſt, &[6] fluxilis aluus.

1 Inſiti caloris penuria. Nā humoris ſeroſi copia, refrigerationis viſcerum, præſertimque iecoris, ſignum eſt. Quod ſic affectum, minus conficit ſanguinis quàm alendis partibus ſit ſatis. Ideoque remotiores partes (qualis eſt cutis, ejúſque vicinia) ſuo pabulo deſtitutæ palleſcunt: aut obſcuro, non viuido colore cernuntur.

2 Quod vel vniuerſam cutim extendit, vt leucophlegmatias: vel ipſius portionem, vt aſcites.

3 Exudante è venis humore ſeroſo in epiploi, peritonæi, & inteſtinorum ſpatium. Quod aliquando quidem, non ſemper fit: nempe tum, cùm ad hepatis vel renum obſtructionem contumacem accedit venarum quæ ſub abdomine ſunt, laxitas.

4 Vniuersum sæpe corpus intumescit in humoris aquosi dominio, sed præsertim manus, itemque pedes, quia natura frigidiores, & à fonte natiui caloris remotiores. Facies autem ob flatulentum spiritum (cuius tum prouentus est) è ventriculo viciníſque sedibus eò delatum.

5 Venosum enim genus aqueo humore scaturit, ob alteratricis iecoris imbecillitatem, qua vera denegatur hæmatosis.

6 Illuc ex habitu corporis aqua confluente, ob materiæ grauitatem, loci decliuem situm, & sphincteris musculi laxitatem.

FLATVS DOMINANTIS INDICIA. CAPVT 7.

T[1]ENSIVI [2]colum, flatu dominâte, dolores
[3]Ventriculumq; premunt, corpúſq; [4]per omne vagantur,
Fit[5] ructus, [6]crepitúſq; frequẽs, [7]tinnitus & auris,
[8]Palpitat & membrum, [9]celerique per aera cursu
Creditur in somnis tonitruve, aut turbine ferri.

1 Flatus dolores creant, quum per membranas neruosaque corpora feruntur, tensionis verò sensum inuehunt, quia quum aeris naturæ sunt participes, ideoque tenues ac mobiles, se in poros corporum insinuant, eaque diducunt, ac diuellunt.

2 Intestinum crassum, seu colum, præcipua flatuum sedes est, quorum vi id nonnullis amplissimè dilatatum dissectis corporibus vidimus. Cuius interior membrana neruosa est, ideoque flatibus distenta, dolorem inuehit acerbissimum.

3 In ventriculo, sicut in colo, flatus fiunt. Ille enim imbecillis cruditates parit, à quibus spiritus flatulenti suscitantur, natiui caloris inopia.

4 Violentia, & tenuitate flatuum, quibus & corpus rarefit, & carnes interdum finduntur, ait *Hippocrates.

** libro de flatibus.*

5 Flatu per os exeunte.

6 Eodem per sedem elabente.

7 Flatulento spiritu auditus organa, quæ sicca sunt & solida, membranea videlicet, & cartilaginea, feriente.

8 Collecto in membri cauitate crasso vaporosoque spiritu, nec exitum habente.

9 Si flatuosi spiritus celeri blandóque motu cerebri corpus disten-

distendunt, insomnia fiunt instar rei currentis aut volantis: sin agminatim, & vi concurrunt, instar turbinis ac tonitrus.

IMMINENTIS MORBI SIGNA. CAPVT 8.

Si præter solitum[1] macies, aut corpus obesum,
Aut[2] calor, aut[3] grauitas, aut sõnia[4] plenia tumult[9]
Eque[5] breui somno sopor, aut[6] cutis vlcere fœda est.
Si sudor [7] pectus, ceruicem, crura, genuve
Permeat, aut [8] animus languet, corpusve fathiscit.
Si [9] dolor aut oculos tenet, aut præcordia, pectus
Aut capitis venas,[10] horrórve perambulat artus,
Spiritus aut[11] grauis est, repetitus &[12] oris hiatus,
Affore prædicas, vel adesse in limine morbum.

1 Quum aliquis plenior est, speciosior, & coloratior quàm consueuit, suspecta habere bona sua debet, ait * Celsus. Quia, quum in eodem habitu subsistere, nec vltra progredi possit, ferè retro, quasi ruina quadam reuoluitur. Hic igitur habitus confestim soluendus. Peius tamen signum est, quum aliquis contra cõsuetudinem emarcuit: quoniam in his quæ superãt, est quod morbus demat: in his quæ desunt, nõ est ꝙ ipsum morbũ ferat. *libro 2. capite 2.

3 Calor, siue sit vniuersalis, seu particularis, noxius. Vniuersalis enim, aut visceris alicujus, præsertimque iecoris, aut cordis intemperiem calidam, aut humoris accensi motum, ac febrem indicat. Particularis verò partis eius quæ calet, alterationem. Quod de insigni calore sentiendum.

3 Humore multo in musculis cumulato, per fluxionem aut congestionem.

4 Fumis aut vaporibus calidis cerebrum obsidentibus.

5 Mixtis in cerebro pituita & bile.

6 Quod cacochymiam designat.

7 Sudor, qui nec uniuersalis est, nec criticus, malus. Quum ergo sudor in pectore, ceruice, genu, coxis particularis exiitat, symptomaticus habendus est, & morbi nuncius, vtpote plenitudinis aut imbecillitatis soboles. de quo scripsit * Hippocrates, vbi sudor, ibi morbus. *Aphor. 36. lib. 4.

8 Spiritibus interceptis & humoribus compressis à copia.

9 A quantitate, vel qualitate ſanguinis: vel à flatibus.

10 Quod ſignum eſt vel obſtructionis meatuum cutis, vel alui ſuppreſſæ. Ex quibus metuenda febris putrida.

11 Ex plenitudine totius corporis, ex qua venarum thoracis tenſio ſequitur, quæ pleuritidem nō rarò parit: aut pulmonis cordíſque calore, ex quo plus ſanguinis quàm deceat in eorum venas illabitur, quæ peripneumoniam ſæpius inducit: aut à deſtillatione aſthmatis parente.

12 i. oſcitatio, ab humiditate ventoſa, vaporoſóve ſpiritu in muſculis inferioris maxillæ contento, vt ait *Galenus.

comment. 5. ad part. 4. libr. 6. Epidem.

SIGNA FEBRILIS ACCESSIONIS INCIPIENTIS. CAP. 9.

INCIPIT & febris, gelido ſi[1] frigore corpus
Cōtrahitur, naſúſque [2] riget, [3] tuſſiſq́ue recurrit,
[4] Víſq; labat, [5] capitíſq; dolor, [6] vomitúſq;, [7] ſoporq́;
Obſidet, atque latens negat [8] altum arteria motum.

1 Initio febrilis acceſſionis externæ corporis partes frigent, quia calor cum ſpiritibus & ſanguine fertur ad cor, obſeſſum à materia vaporéve febrili.

2 Quia, quum ſit oſſeus & cartilaginoſus, quicquid habet caloris, citiſſimè relinquit.

3 Tenui pituita decumbente in fauces & thoracem. Eô verò tunc potiùs inclinat fluxio, quia cerebrum caloris minùs habēs (affluente ad cor ſanguine) nec bene coquit, nec retinet. Quod verò non retinet, via decliui in fauces pulmonéſque decumbit. Adde, quòd cor impenſe calidum attrahit inſtar cucurbitulæ quod ſibi vicinius eſt.

4 Vapore febrili in cor illapſo.

5 Vaporum è corde in cerebrum metaſtaſi.

6 Humoribus è ventriculi fundo, viciníſque partibus, in ſtomachum refluentibus. Interdum verò ſola fit nauſea.

7 Refrigerato cerebro, vt vult *Galenus.

1. de locis affectis.

8 Acceſſionis febrilis initio paruus ac contractus eſt pulſus, íſque profundus, quia tum calor intro cogitur, & cor obſeſſum vitales ſpiritus per omnem arteriam non æqualiter effundit.

AVGMENTI SIGNA.
CAPVT DECIMVM.

AVGETVR, si frigus abest,[1] tepidoque calori
Cedit, & æqualem[2] solitus retinere tenorem
Pulsus,[3] inæqualis fieri, maiorque videtur.

1 Calor in incremento mediocris est, nec in omne corpus æqualiter effusus, quia tum natura nõ omnes suas copias explicat vt in vigore, in quo de summa rerum decernitur.

2 Ante accessionẽ. etenim initio paroxysmi pulsus est inæqualitas, sed non, vt in augmento vigoreque conspicua.

3 Inæqualitas est in febre putrida. Tum quippe systole quàm diastole celerior est, vt putris expurgetur fuligo.

SIGNA STATVS.
CAPVT VNDECIMVM.

SIN vigor est, calor[1] omne tenet, corpúsque perurit.
Quæq; minora priùs, ea tunc symptomata culmen
Sæuitiæ[2] summum retinent: perit inque[3] vigore,
Viribus aut constans morbum supereminet æger.

1 In statu totum corpus incalescit ex æquo, nisi quum febris superuenit magnis viscerum inflammationibus, aut aliter maligna est. Tum enim inflammationis calor existit adeò vehemẽs, vt ad se, cucurbitulæ instar, sanguinem attrahat ex vniuerso corpore. Eique qui sic affectus est, exuruntur viscera, partes autem externæ, reuocato in corporis meditullium sanguine, frigent. Quod in acutis (quæ continuæ sunt, non intermittentes) locum habet.

2 In vigore sæuissima sunt omnia, quia tum est inclyta natiui caloris morbique pugna, nimirum in qua,

Aut vincit natura potens, aut victa fathiscit.

3 Æger in pessimo morbi statu moritur: igitur in vigore. Vigor enim est maximum morbi symptoma. morituri verò communia signa sunt morbi magnitudo, concoctionis defectus, & summa virium imbecillitas. Vt contrà morbi tolerantia facilis

(εὐφορίαν vocãt) pepaſmus & virium robur ſecuritaté pollicẽtur.

[1]SIGNA COMMVNIA FEBRIVM. CAPVT 12.

SAEPIVS[2]hîc[3]capitis dolor eſt,[4]ſitis,[5]arida lin-
Scabráq́,[6]ſingult⁹,[7]iactatio corporis,[8]æſt⁹,(gua
[9]Nauſea,[10]lapſaq́; vis,[11]vomitus,[12]priuatio ſomni,
[13]Lumborũ grauitas,[14]anorexia,[15]mentis & error,
[16]Improbus & guſtus,[17]mala deglutitio,[18]ventris
Profluuium,[19]dyſpnœa,[20]rigorq́ue,[21]oppreſſio,
[22]ſudor.

1 Hæc quia ſimplicia ſigna non ſunt, ſed grauiſſima ſymptomata, quæ ſæpe curationem in ſe cõuertunt, eaque multis febribus communia, de his hoc libro ſignis morborum vniuerſalibus explicandis deſtinato ſcribimus, febrium ſigna ſpecialia diſtinctius ſecundo libro tradituri.

2 i. in vigore.

3 Ex ſubjectis partibus vapore, vel tenuiore ſanguine è venis majoribus ſurſum elato.

4 Interiore ventriculi tunica vel exiccata calore, vel imbuta nitroſo quodam, & acri calidoque humore.

5 Ab æſtu, vel acri calidoque vapore: cuius magna vis eſſe cognoſcitur, quum lingua ſcabra fit.

6 Ab inanitione, vel repletione. Interdum etiam humoris corrupti, ventriculi tunicis impacti, acrimonia: vel eiuſdem malignitate, qualem peſtilens febris inuehit.

7 Turgente in venis materia, & huc illucque delata: vel cæca malignitate cor obſidente: vel æſtu, vel oppreſſione.

8 Vapore quoquouerſum expanſo.

9 Vapore, vel humore, vel infeſta qualitate laceſſente ventriculum.

10 i. λειποθυμία, ſeu deliquium animi. Cui⁹ cauſſa eſt, pernicies febrilis humoris, vt æruginoſa, vel praſſina, vel atra bilis, ventriculi os, præcordiorumve membranas acriter vellicans. Aut ſymptomatum vehementia, vigiliæ, dolor, tumor, immodica repentinaque vacuatio: vel tenuis victus ratio.

11 His prægnante ventriculo, quæ aut mole ſua grauant, aut mordacitate cõtriſtant.

12 Calido acrique vapore cerebrum exiccante, & ſupra modũ attenuãte, diſſipanteque ſpiritus: Vel qualitate pernicioſa cor ob-

obterente: vel æstu, oppressione, siti, dolore: Denique causa quauis somnum interpellante.

13 Materiæ febrilis portione in venam cauam, aut maiorem lumborum arteriam decumbente: vnde lumborum renũque non rarò dolor insurgit, pondere ibi diutius consistente.

14 A causa multiplici, sed à calido præsertim ventriculum offendente. Calor enim solida corpora laxando dissoluit, & ad attractionis functionem, quæ deficit in ἀνορεξίᾳ, reddit imbecilliora. Humida verò fundendo supra modum extendit. Aliâs cibi fastidium fit, corrupto vapore in stomachum expirante: vel infensa qualitate eò se inferente.

15 i. delirium, feruida bile cerebrum obsidente.

16 Gustus deprauatur, quum os linguaque perfusione bilis amarescit, aut humoris corrupti substantia vaporéve polluitur.

17 Deglutiẽdi difficultas est, quum aliquis vapor crassus, aut pituita caloris vi siccescit in faucibus & ore ventriculi, viamque cibo saliuæque reddit angustiorem.

18 De cuius causis infrà, cap. 15. partic. 22.

19 Spirandi difficultas in febribus fit ex præcordiorum oppressione, cordis & pulmonum æstu, bile & putredine ibi genita, vel è venis eo procumbente.

20 Calidus ac putris humor extra venas conditus si plurimus est, ísque vehementer acer, ac mordax, & impetu magno in præcordia excussus, eorum membranas feriat, rigorem adfert: horrorem, si is minùs acer est, & minore copia. Sin paucus, & lentè languideque mouetur cum acrimonia minima, frigus inuehit. Est autem rigor, vt horror & frigus, febris intermittẽtis symptoma.

21 Ab ardore bilis prassinæ vel æruginosæ circum cor exæstuantis: Vel eiusdem in præcordiis aut visceribus firmatæ, ac ventriculum, diaphragmaque prementis copia: vnde præcordiorũ distentio, & in contactu pressuque dolor.

22 Sudor, est humoris serosi per spiracula cutis excretio. Qui quum affatim, per totum corpus, in accessionis febrium intermittentium fine, seu declinatione, in continuarum crisi, vacuata crassiore, coctaque reliqua materia profunditur, naturalis & salutaris est: aliàs symptomaticus, & præter naturam.

SIGNA DECLINATIONS.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

HINC ardor febrilis[1] abit,[2] placideque mouetur
Pulsus, & humores victrix natura[3] gubernat.

1 Perſpirante caliditate, mediumque corporis relinquente. Quo tempore cibandum ægrum præcipit *Hippocrates. Signũ verò potiſſimum ait, quum calor ad eius pedes deſcenderit.

* libro de rat. vict. in acut.

2 i. naturaliter, dyaſtole ſyſtolen æquante.

3 Nam excluſa materia per criſin, quæ fit in vigoris fine, nihil hoſtile ſuo ſinu clauſum natura continet. Quare, quum prouida ſolérſque ſit, ordine ſic cuncta moderatur, vt rarò quis in declinatione videatur occumbere, niſi morbus alius priori ſuccedat.

SIGNA MORBI SALVTARIS.
CAPVT DECIMVMQVARTVM.

TVM ſperanda ſalus, cùm[1] paulum crura reducẽs
In[2] dextrum læuúmque latus cõuertitur æger,
Atque[3] die vigilans vmbroſa nocte quieſcit.
Cùm fera[4] vis morbi,[5] dyſpnœa,[6] febríſque remittit,
[7] Sputaque liberiùs calido de pectore cedunt,
Et quatiunt madidum [8] ſternutamenta cerebrum,
Cùm[9] calet, & molle eſt corpus, ſudorque per omne
Spargitur,[10] ardorem ſoluẽs: hypochondria quãdo
[11] Molleſcũt, nec in his dolor eſt: cũ ventris habetur
[12] Plana cutis, biliſque[13] vnà, pituitaque fertur
Per vomitum. Nec ſpem, matulæ concluſa, minorẽ
Hæc vrina dabit, cuius ſit hypoſtaſis[14] alba,
Læuis, & æqualis. Sic excrementa leuamen
Significare ſolent, decliuem miſſa per aluum,
[15] Mollia ſi fuerint, connexa, &[16] ruffa colore.

1 Hyperbolicæ figuræ, quæ nimium extenſis neruis fiunt, dolorificæ: doloris autem expertes, quæ medium ſitum habent. Poſterioris generis eſt crurum, vt ceruicis & manuum reductio mediocris, validam indicans animalem facultatem, ideoque morbi ſecuritatem ægro pollicens.

2 Facultatis eius robore, quæ corpus per muſculos mouet.

3 Vigiliæ diurnæ ſalubres. his enim & ſpiritus animales illuſtrantur ab aere diei luminoſo, quiq; per ſomnum immobiles & craſſi redditi ſunt humores, perſpirabili cute digeruntur. Somnus item

mnus item nocturnus sanitatis signum est, quia spiritus animales reparat, & humores concoquit, calore in corporis meditullium seu fundum reuocato, qui per vigilias & diurnum aeris splendorem externam corporis faciem seu cutim affectabat.

4 Humoris ferocia naturæ vi retusa.

5 Pectore partibúsq; in eo contentis tẽperiem suã seruãtibus.

6 Febris intermittens secura est. Etenim in intermissione natura cibos admissos concoquit, vnde noui spiritus fiũt, ex quibus vires febrili calore debilitatæ resarciuntur.

7 Facultate cùm vitali, tum animali robusta: & humore per pepasmum reddito blandiore.

8 Quæ coctionem indicant, & robur excretricis in cerebro facultatis. Ideoque laudantur in omnibus, exceptis pulmonũ affectibus.

9 Optimum est, si corpus omne calidum æqualiter ac molle sit. arguit enim hæc διάθεσις optimam corporis constitutionem, cuius in humido calidoque sedes est.

10 Sudor per vniuersum corpus effusus, febrémque perfectè submouens, bonus. Affectũ enim, eiúsq; causam sublatã indicat.

11 Præcordia si mollia sunt & æqualia sine dolore, partium subiectarum, vt abdominis musculorum, mesenterii, lienis, hepatis, ventriculíque temperiem renũciant: vt intemperiem, nempe phlogosin, aut phlegmonen, aut scirrhum, aut flatus, si tenduntur, attolluntur, obdurescunt.

12 Venter planus & æqualis est, quum omnes abdominis musculi suam εὐσαρκίαν retinent: quorum robore faciliùs ab aluo fæces excluduntur.

13 Vomitus pituita biléque quammaximè permixtus ab Hippocrate laudatur, quia contrarius humori syncero omnium deterrimo. Nam syncerus humor si bilis est, caloris: sin pituita, frigoris exuperantiam indicat. At pituitæ permixta bilis, ex calido frigidóque temperiem (in qua naturæ consistit essentia) denunciat. *in Progn.*

14 Omnis hypostasis, humoris copiam designat: cocti quidem, si fuerit alba, læuis, & æqualis, vnde morbi securitas: crudi verò, quæ ab his qualitatibus defecerit. Alba quidem est ei tribuente natura colorem solidarum partium, nempe venarum & arteriarum quas permeat: læuis & æqualis, asperitate caloris vi domita.

15 Deiectio mollis, id est, nec impense liquida, nec dura nimis: itémque cohærens, bona. nempe quæ partium, vnde manat, indicat temperiem.

16 Bile è cysti fellis intestina præterlabente. Quam in hunc

vſum natura deſtinauit, vt excrementa viſcida craſſaque diutius in inteſtinis ſtabulantia per aluum excluderentur, eáque quaſi natiuo clyſtere proluerentur inteſtina.

SIGNA MORBI PERICVLOSI. CAPVT XV.

Corporis extremas in acuto[1] algeſcere partes,
Carnoſumq; genus ſubitò [2] macileſcere, púſq;
[3] Excerni, [4] reſidere, viget cùm morbus acutus,
Aut[4] pulmo affectus premitur, ſudore profuſo
[5] Horrere, & [6] vigilare nimis, cogíve ſopore,
Dentibus humorem viſcoſum glutinis inſtar
[7] Affigi, [8] fieri ſingultum, oculóſque rubere
Poſt vomitum, à ſomno[9] metuiſſe, [10] cubare ſupinũ
Cruribus expãſis, manibúſque, [11] hypochõdria tẽdi,
Cum capite[12] eſſe manus calidas, dũ frigus vtrique
Sentitur lateri, ventríque: dolore perenni
[13] Vrgeri, mentémque, febre[14] incipiente, moueri
Sede ſua, prauum. Nec damna minora minantur
[15] Inuitæ lachrymæ, [16] febris irrequieta, [17] frequénſq;
Spiritus[17] & vehemẽs, vomitus[18] ſyncerus, & [19] albũ,
Si lædit phreneſis, lotium: & quod[20] furfuris inſtar
Aut fili ſedimen retinet, penitúſque[21] repreſſa
Aluus, & in febri[22] nimio furibunda fluore.

1 Concepto in viſceribus incendio.

2 Colliquato per igneum calorem hoc humore ſecundario, qui carnis molem conſtituebat.

3 Pus, ſignum malum eſt, abſceſſus videlicet in thorace. Materiam tamen purulentam excerni bonum. Vindicatur enim pulmo (ſiquidem eſt expectoratio laudabilis) ab exeſione, quæ aliàs intra quadraginta dies contingeret.

4 In morbi vigore citra proprium pulmonis affectum erectũ ſedere velle, ſignum eſt inquietudinis, aut delirii. Qui enim bene morbum tolerat, immotus potiùs cubare cupit. In pulmonis

monis autem affectu, malum quidem signum est, inflammationis nimirum tum eius, tum cordis. at ægro minus hac, quàm alia figura stare molestum. Sic enim pulmo se magis explicat ad aeris attractionem, indeque maius refrigerium.

5 Ex sudore horror, malum. horror enim sudori superueniẽs indicat aliquid superesse materiæ morbificæ: itaque sudorem fuisse decretorium non decernens. At, ait * Hippocrates, decretoria quæ nõ decernũt, partim pniciosa sunt, parim δύσκριτα. * libro 2. Epidem. sect. 2.

6 Ex intemperie sicca primi sensorii, seu cerebri: vel siccis & biliosis humoribus eò delatis, vigiliæ fiunt. Sopor contrà frigidã intemperiem agnoscit, nempe crassos & pituitosos succos, cerebrum, pituitæ primarium fontem, opplentes.

7 Pituita vi caloris exiccata. Quod est vehementis febris indicium.

8 A vomitu singultus, & oculi rubicundi, malum. Nam vtrumque ventriculi vel cerebri, sed rubor oculorum cerebri potiùs inflammati signum est.

9 Metus à somno, malus. Significat enim fumorum præsertim melancholicorum copiam, aut κακοήθειαν. Quam si natura superare per somnum (quo tempore calor intus est vegetior) nequit, multo minùs per vigilias.

10 Talis decubitus fit motrice facultate languida, si nõ ita cubare solitus est æger, nec facilè in vtrumque latus conuertitur.

11 A flatibus, vel phlogosi, vel tumore aliquo præter naturam, vel intemperie sicca partium subiectarum tenduntur hypochondria, eaque vel sine dolore, vel cum dolore. Si cum dolore, viscerum est inflammatio. Sin sine dolore, sanguinis eruptio per nares est expectanda, *Galeno. *commẽt. ad part. 55 sect. 2. lib. 1. Epid.

12 Exoluto in visceribus natiuo calore. Quod in perniciosis paroxysmorum inflammationibus fieri cõtingit, diffluente vnà cum aliis in corpore etiam febrili calore, quemadmodum animaduertit *Aetius. *tetrab. 2. sermon. 2. cap. 56.

13 Materia quæ morbum facit, sensibilia corpora perpetuò lancinante.

14 Initio morbi delirium fieri, malum, quia metuenda phrenitis in statu.

15 Hîc inuitæ lachrymæ fiunt, retentrice facultate debili, non ab orgasmo, vt paulo ante crisin.

16 Nulla febris continua leuiter terrere debet. Ea namque primigenium humidum depopulatur, nullumq; relinquit tempus idoneum, quo attritæ vires per cibum instaurari queant.

17 Partibus quæ thorace continentur, affectis phlegmone.

18 Nam syncerus quiuis humor præter sanguinem exclusus,

*commēt. 2. in Prognostic. part. 47. prauam, ait *Galenus, indicat affectionem.

19 In phrenitide albicans vrina significat biliosum humorem in cerebrum rapi, indeque febrem, (quæ symptomatica tum est) augeri. Si febris est phrenitidis expers, & cum alui fæcibus albet vrina, phrenitis metuẽda. Vrina porrò candicãs sine febre, soboles est obstructionis & cruditatis, ideoque semper mala.

20 Quum in hypostasi furfures filáve cernuntur, flammeo febris calore solidæ partes attinguntur, atque tabescunt. Si febris non adfuit, vesica tantùm afficitur.

21 Quæ nota est immodici ventriculi, vel iecoris, vicinarúmque partium caloris humidum absumentis.

22 Alui profluuium cum febre perniciosum. Illud enim spiritus exoluit, exhauritq;: febris autem eosdem assat & absumit. Fit autem ab intemperie calida humida, vel bilis erumpentis copia, vel languida retentrice, vel humorum è superioribus partibus decubitu, vel acri quauis materia ventriculi os inferius lancinante, vel copia ciborum grauante, vel denique maligna qualitate quam cæli constitutio pestilens inuexit, aut induxit humorum putredo.

SIGNA MORBI LONGI.

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

SIN minùs hæc noceant, morbi mora longa sequetur,
Cuius erũt hæc signa: calor [1] modò corpus habebit,
Nunc frigus, sudórve fluet [2] cum febre, colórve
Vnus & alter erit, nec fiet [3] marcidus æger.
[4] Quæ modò pura fuit, bullas vrina refundet,
Albáve subsident, & ab illis rubra sequentur,
Rubraque quæ fuerat modò, fiet hypostasis alba.

1 Quum calor & frigus in ægro corpore sibi succedunt, signũ est variarum affectionum. Quas quia natura non potest vno tẽpore subigere, morbum fore longum necessariò colligendum est. Idem existimandum de coloris in morbo vicissitudine.

2 Sudor qui febrem non soluit, materiæ copiam subesse testatur, quæ non concoqui, nisi mora, potest.

3 In omni morbo natiuus calor atteritur, & imminuitur, nec suffi-

ſufficiens ſit alimenti in omne corpus diſtributio: vnde contingit carnoſas partes conſumi. Quum igitur morbi ſpatio corpus aut non, aut parum emarcuit, morbi diuturnitas expectanda. Humores enim qui vitium faciunt, craſſi, lentique, vel multi ſunt, nec facilè, nec citò diſſipabiles.

4 Vrina quæ modò pura eſt & naturalis, modò bullas habet, aut maculas in ſuperficie, quæve in fundo ſedimentum nunc album ac læue, móxque rubrum deponit, iure morbi diuturnitatem accuſat. Quòd enim interdum pura cernitur, interdum albam ac læuem habens hypoſtaſin, ſignum eſt naturæ roboris, & coctionis alicuius materiæ. Quod deinde bullas, aut maculas repræſentat, aut in imo rubet, argumentum eſt peccantis humoris: quem quum natura nondum aggreſſa ſit, ad eius pepaſmum tempus requirit.

[1]SIGNA FVTVRÆ CRISEOS.

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

ANTE criſin currens variis nox aſpera ſignis
Proditur, vt [2]capitis, colli, ſtomachiq; dolore,
[3]Comate, [4]dyſpnœa, lachrymis [5]non ſpõte profuſis,
[6]Obtuſo ſenſu, [7]ſpectris lucentibus, auris
[8]Tinnitu, [9]motu labii, [10]lotióque retento:
[11]Præuenit & tempus ſolitum, ſæuóque rigore
Feruorem ingeminans acceſſio territat ægrum.
Hinc [12]ſalit & clamat, vigil eſt, delirat, anhela
Conficitúrque ſiti, [13]nec ſpem putat eſſe ſalutis.

1 Quæ fiunt ex orgaſmo materiæ noxiæ naturam impetentis criſima, ſeu iudicantia ſigna vocata.

2 Turgente in his partibus materia morbifica.

3 Ex humorum, aut vaporum copia, cerebri ventriculos imbuente.

4 Obſeſſo corde, nec bene ſe ab excrementis fuliginoſis expediente.

5 Turgente in oculis materia per orgaſmum.

6 Propter obſeſſionem primi ſenſifici, nempe cerebri.

7 Interdum etiam rubris, vel obſcuris. Lucentibus quidem

(ea μαρμαρυγὰς appellant) à ſplendore tenuitatéque ſpirituum influentium in oculos. Rubris, à ſanguinis ſpirituoſi in minimas oculorum venas illapſi copia. Obſcuris, à fumis circumdiſcurrentibus, vnde ſcotodinia, ſeu tenebricoſa vertigo.

8 De cuius cauſa cap. 7. partic. 7.

9 Tremulo, ex concuſſione neruoſi generis.

10 Oblita peculiaris muneris natura in humore noxio propulſando, vel eadem oppreſſa ſupprimitur lotium. Quod vtrũ ſit, cognoſcitur ex præcedentibus coctionis aut cruditatis ſignis.

11 Paroxyſmus criticus anticipare ſolet ob cõcitatiorem humoris motum. Humorem verò concitat vterque calor, natiuus, & aduentitius: ille quidem, vt excludat noxium: hic, vt naturam opprimat.

12 Quæ ſequuntur, ſigna ſunt vigoris acceſſionis criticæ. in cuius declinatione libera ſequitur & liberalis excretio, ſi criſis ſalutaris eſt, vt ſæpius accidit. Nam, ait *Galenus, ex ægrotis plures ſeruantur quàm intereãt: niſi peſtilens ſit cæli cõſtitutio.

*commẽt. ad aphor. 13. lib. 2. aphoriſ.

12 In tãta cõtentione naturæ cum morbo de vita diffidit æger, & familiares eius calamitatem deplorant. Sed medicus prudens terreri nõ debet, verùm intrepidus ſpectator eſſe fabulæ, ſi præuiderit concoctionem, quæ criſeos accelerationem, & ſalutis certitudinem indicat, à qua nullum vnquam ſe vidiſſe qui perierit, cum *Galeno prodit *Aetius.

*1. de Criſibus.
*tetrab. 1. ſerm. 1. cap. 24.

SIGNA MALÆ [1]CRISEOS.
CAPVT XVIII.

I[2]LLA quidem, veniunt ſi forſitan [3]indice nullo,
[4]Atque ſuis malè ſe purgauit fæcibus aluus,
Sputa malè & pectus reiecit: [5]aquoſaque renes
Craſsáve, [6]temporibus aut nigra, aut fœtida primis
Deiecêre, & vis moribundis viuida membris
Nulla micat, criſis eſt, [7] ſubiti ſed plena pericli.

1 Criſis vel ſimpliciter & abſolutè, vel cum adiectione dicitur. Cum adiectione quidem, in melius peiuſve mutatio Simpliciter verò, præceps ad ſalutem mortémve tranſitus. cuius notas hîc exponimus.

2 Cruda quæ ſunt, & incocta, inque malos abſceſſus conuerſa,

criſeos fruſtrationē aut dolores, aut diuturnitatē, aut mortem, aut recidiuas indicant, inquit *Hippocr. Ergo ſi cruditas præ- ceſſerit, & ſuperiori capite commemorata ſigna ſuperueniunt: mala criſis eſt, eò periculoſior, quò magis vires languerint. *1. epidem. ſect. 2.*

3 Natura ſalutarem exitioſamq; criſin indice quodā die præmonſtrare ſolet, ſiquidem toto morbi ſpatio cum cauſis noxiis dimicat. Quum ergo criſis nullo die præuiſa contingit, lethalis eſt, quia nulla priùs apparuit nota naturæ contendentis.

4 Signa cruditatis, ideoque criſeos improbæ ſumuntur ex vrinis, ſeceſſibus, & ſputis. Vrinis quidem tenuibus, craſſis, aquoſis, nigris, & graueolentibus. Seceſſibus verò frequentibus, albis, pallidis, vehementer ruffis, virentibus, ſpumoſis, viſcoſis, nigris, liuidis, pinguib⁹, fœtidis, æruginoſis, praſſinis, ramētoſis, bilioſis, cruentis. Sputis deniq; pleno gutture feruentibus, nec eductis ex facili, ſyncerè flauis, albis, viſcoſis, ac rotundis, viridibus, pallidis, ſpumoſis ac nigricātibus, vt notat Hippocrat. in prognoſt.

5 Vrinas aquoſas interpretatur *Galenus pellucentes, ſeu tenues albas: quæ ſunt maximæ cruditatis indices: vt humorum exceſſus, craſſæ: fœtidæ, putredinis: extinctionis natiui caloris, nigræ. ** cōment. ad aphor. 72. lib. 4. aphor. & 1. de Criſ.*

6 Primis morbi temporibus, principio nēpe, vel incremento, ſigna cruditatis apparere ſolent in mala criſi, quum ea veros dies criſimos vtplurimùm anticipet. vt, in acutis raro ſeptimo, non raro ſexto comparet grauiſſimis ſtipata ſymptomatis, eáq; planè funeſta. Quo fit, vt ſextum diem (peſſimum decretorium) tyranno Galenus aſſimilet.

7 Lethalis criſis magis eſt ſubita, quia fit natura minimùm repugnante, crudáque (quæ quouis eſt morbi tempore) materia: Secura verò non æquè præceps. Natura namque tum occupatur & moras agit in humore noxio ſubigendo coquendóque.

SIGNA BONÆ CRISEOS.
CAPVT XIX.

T[1]VTA criſis fiet, critica ſi luce movetur,
Si [2]vires adſunt, & blandi ſigna [3]pepaſmi.

1 Dies critici ſunt tertius, frequens in peracutis, quartus, ſeptimus, nonus, vndecimus, decimuſquartus, decimuſſeptimus, & vigeſimus, cæteríque quaternario ſeptenarióque numero comprehenſi ad quadrageſimum, à quo die raro criſes fiunt, in-

* coment. ad aphor. 36. lib. 4.

quit * Galenus. Crisis autem citiùs aut seriùs ventura cognoscitur ex morbi more, specie, & paroxysmorum circuitu. Sic febres, quæ malignæ sunt, quæque cum signis securissimis progrediuntur, quarto die, vel antè desinunt: pessimæ verò, quæq; lethalia signa præ se ferũt, quarto die, vel priùs, ægrum tollunt è medio. Et ex febrib⁹ tertiana celeriùs iudicatur quàm quotidiana, quia bilis citiùs, tardiùs pituita mouetur. Vtque paroxysmi festinauerint, & pristinam horam anticipauerint magis, ita citiùs iudicationem affore significant. Sin pigrè moueantur, & in longius tempus extendantur, sera vel nulla crisis expectanda.

2 A viribus indicatio petenda semper est, cùm vitam vel ipsas esse vires, vel ei⁹ actiones necesse sit, vt monet Gal. 9. Meth.

3 Pepasmus, victricis naturæ signum est, ideóque crisis est optima, quæ præcurrentibus coctionis signis aduenit. Hæc verò petuntur ex vrinis, secessibus, & sputis laudabilibus. Sputis quidem citò faciléque expectoratis, ac dolorem sedantibus. Secessibus verò solitis horis egestis spissioribus, subfuluis, nec graueolentibus. Vrinis denique læuem, albam, & æqualem habentibus hypostasin in consistentia mediocri, coloréque subaureo flauóque.

SIGNA MORTIS.

CAPVT XX.

AT[1] lethale malũ est, cùm tẽpora[2] lapsa, cauíque
Sũt oculi, nares[3] acuuntur, & vtraque[4] lãguet,
[5] Versaque leniter est extremis partibus auris,
Tensaque[6] durior est frontis cutis, & color[7] ater,
Cùm[8] fugiunt oculi lumen,[9] pituitáque[10] canthis
Hæret, & extantes venæ[11] pallore tenentur,
Palpebra[12] nec iuncta est, tunicæ videatur vt album
In somnis. Lethale quoque est,[13] resoluta iacere
Labra,[14] videre nihil, nec quicquam audire, sopitum
Semper[15] hiare, pedes[16] gelidos pendere deorsum.
Nec minús horrendũ est vlcus cùm[17] liuet, &[18] aret,
[19] Cruráq; cum manibus nudãtur, &[20] vltima frigẽt,
Spiritus efflatur gelidus,[21] paleæque leguntur,
Et dolor à coxis veniens[22] in viscera transit.

1 Si-

1 Signa, quæ quatuor primis versibus commemorantur, imminens exitium portendũt morborum acutorum initiis, si nec inedia, nec alui profluuium, nec alia quæuis immodica vacuatio, nec vigiliæ præcesserint. Aliàs minus, sed graue tamen periculum denunciant.

2 Ob inopiam natiui caloris, quo destituti crotaphitæ musculi necessariò consumũtur à calore febrili, si morbus acutus est: aut contabescunt, si longus.

3 Ossea quidem superstite, sed consumpta carnea substantia. Carnea verò moles citò consumitur ob calidam & humidam, ossea non item, ob frigidam siccámque temperiem.

4 Nares citiùs à calore natiuo destituuntur, quia cartilagineæ, proindéque naturali constitutione frigidæ.

5 Ob siccitatem & refrigerationẽ conuulsio sequi consueuit. Quum autem aures natura frigidæ siccæque sint, ideo sub mortem febrili calore redditæ sicciores, & natiui caloris penuria frigidiores, conuelluntur.

6 Cutis frontis, minimum carnis habet, ideóque promptissimè in acuta febre siccescit, & siccitate tenditur duriórque fit.

7 Faciei color in nigrum vergit refrigerato sanguine. Si verò pallescit, malus quidem, sed moderatior affectus est.

8 Imbecilla videndi facultate.

9 i. sordes pituitosum excrementum referens, à coctricis oculorum facultatis imbecillitate.

10 In oculorum angulis hærent sordes potiùs quàm in adnata tunica. Illi namque rugosi sunt: hæc æqualis & lubrica. Sordes autem excrementum est semicocti alimenti, nullum interdum indicans periculum, vt in ophthalmia. Sed in acutis (vt hîc) accedentibus aliis signis lethalibus, imbecillitatem portendit regentis oculum facultatis naturalis, quæ coquere nequit alimentum.

11 Quum pallent, aut liuent oculi venæ, refrigerationis sanguinis; quum nigrescunt, extincti natiui caloris sunt indices.

12 Musculis, qui palpebras mouent, conuulsis ob siccitatem. Minùs autem horrendum, si æger ita somnũ capere cõsueuit.

13 Languida motrice facultate.

14 Intereunte facultate sensifica.

15 Imbecillibus os claudentibus musculis.

16 Extincta facultate quæ corpus regit.

17 Aut etiam pallet, venularum, quæ vlceri adiacent, marcescente sanguine: bilioso quidem, cùm pallet vlcus: atrabiliario potiùs, cùm liuet.

18 Altrice facultate debili.

19 Quod inquietudinis eſt ſignum.

20 Calore tantùm hærente circum viſcera: quod intelligitur, ſi venter & latera calida ſunt. Aut eodem emortuo: quod expiratione frigida cognoſcitur.

21 Exhalantibus ad vaſa, quæ oculis inſeruntur, vaporibus, & ſic in pupilla hæretibus, vt ob craſſitiem, viſorium ſplendorem, ſeu ſpiritum per ſe debilem foras egredi prohibeant, & imaginatione læſa putent ægri ſe vel in veſte, vel pariete, vel alio ſimili talia corpuſcula cernere, qualia ſunt hæc, quæ in pupilla conſederunt. Hoc autem phrenitidis ſignum eſt aduentantis aut præſentis, ſi contingit in morbi vigore. Sin emorientibus facultatibus, extinctionis ſpiritus animalis certiſſimum indicium.

22 Quod naturæ proſtratæ certum eſt argumentum. Nam, quandiu natura ſuperior, tandiu vitium à partibus nobilioribus detrudit in ignobiliores, nec vnquam permittit ab his in illas anadromen fieri.

LIBRI PRIMI FINIS.



DE SIGNIS MORBORVM *liber secundus.*

SIGNA CAPITIS AFFECTVVM VNIVERSALIA. CAP. I.



QVVM [1] dolor est [2] capiti [3] mordax, vapor acer abundat.
Quum grauis, humoris signatur copia, pulsus
Arguit [4] ardorem: si [5] sola est [6] tensio, flatum.
Tensio sin grauis est, [7] membranis humor inhæret
Plurimus, vt pulsans in eis notat esse calorem.

1 Dolor, morborum ferè omnium assiduus, ac nimiùm fidelis comes, tristis ac molestæ rei sensus est: cuius causa, inæqualis intemperies, & solutio continui à *Galeno statuitur. *lib. 2. de loc. affect. capite 1.

2 De cuius, vt & thoracis affectuum signis agimus hoc libro.

3 Vel in capite genitus, vel aliunde affluens. Acer autem, erodens, ac perforans dolor est à bile, membranas, sensus eximii partes, vellicante.

4 Arteriis tenui biliosóque sanguine, spiritúque distentis.

5 i. sine grauitate, pulsúque.

6 Quæ fit, cùm humida flatulentáque substantia tanta est, vt à parte, quæ hanc continet, capi nequeat.

7 Omnis capitis dolor in membranis est. Hic, aut externus, aut internus. Si externus, afficitur pericranii membrana, do-

lórque sentitur in radicibus capillorum, qui pressu redditur acutior. Sin internus, nimirum intra caluam, cerebri meninges intemperiem contraxere.

SIGNA PHRENITIDIS.

CAPVT SECVNDVM.

DELIRANT [1] cum febre quibus manifesta [2] phrenitis.
Affore quam, vel adesse docet [3] priuatio somni,
Vel [4] somnus varia turbatus imagine rerum,
Ex [5] miti fera vox, [6] squallens, & [7] lippus ocellus,
Effundénsque acres lachrymas, venæque [8] tumentes
Sanguine, per nares [9] stillans cruor, [10] aspera lingua
[11] Garruláque, [12] exiguus potus, [13] collectio vana
Floccorum, pulsúsque [14] frequẽs, durúsque, celérq;,
Vrinæ [15] niueus color, & [16] spiratio rara.

1 In phrenitide, perpetuum est cum febre delirium. Distinguitur tamen phrenitis à simplici delirio. Id enim tantùm in vigore febrium ardentium suscitatur, earúmque symptoma est. Phrenitidis verò delirium, non symptoma, sed causa febris: ideóque quandiu phrenitis, tandiu viget delirium, & contrà. Differt porrò phrenitis à melancholia, maniáque, quòd hæc deliria quidem sunt, sed febris expertia: Phrenitis verò, delirium febris particeps.

2 Phrenitis, est cerebri & membranarum eius phlegmone. Quæ diuiditur in exquisitam & spuriam. Illa cerebro primariò laborante contingit: hæc per consensum diaphragmatis, vitiũ suum in cerebrum transmittentis facilè, quum sit eius substantia plurimum neruosa, membranosáque.

3 Bile, causa phrenitidis cerebrum occupante.

4 Somnus turbulentus hic fit, non à flatibus, vt in melancholia, maniáque, sed ex biliosi vaporis, aut sanguinis acrimonia, calore, motu.

5 Ex miti ferox respõsio phrenitidis signum est, nẽpe bilescentis sanguinis in cerebro. Nonnunquã vero phrenitici priùs feroces, placidi deinde fiũt, vel metu quo refrigescũt spiritus, vt cùm

vin-

vincula proferũtur, vel sedato bilis paroxysmo.

6 Ab imbecillitate spiritus animalis, qui plurimus exhauritur per vigilias & febrem.

7 Adnata oculi tunica phlegmonen patiente propter imbecillitatem visorii spiritus, sanguinis venularum assidentium copiam & acrimoniam.

8 Per inflammationem venarum cerebri.

9 Erosa potiùs ab acrimonia sanguinis, quàm aperta vena.

10 Appulsu fuliginis, vnde lingua quoque nigricat.

11 Ob bilis humoris subtilissimi motum, multæ se phreniticis offerunt imagines, quas quoniam hi sermone conantur exprimere, in loquacitatis vitium incurrunt.

12 Phrenitici potu contenti sunt exiguo, quia non sitiunt. nõ sitiunt autem, vel quia siticulosam affectionem non sentiunt, extincta facultate appetitrice stomachi: vel quòd ardoris causa longiùs abest à ventriculo: vel quòd eorum mens ægrotat. Aliàs multa siti torqueri debẽt, quum in illis causa sitis abũdet, intemperies videlicet calida siccáque.

13 Nec enim phrenitici re vera colligunt floccos, aut paleas, aut simile quidpiam, sed colligere se putant, vel cogitationis, vel sensus, vel vtriusque iudicio destituti. Cur autem id putent, à nobis expositum est lib. 1. cap. 20. partic. 21.

14 Vt in phrenitide pulsus frequens, sic paruus tactu percipitur. Frequens quidem ob vsum, siquidem affectus est ab immẽso calore. Paruus autem ob arteriæ duritiem à siccitate contractã: quæ quoniam ideo satis distendi non potest, pulsus subtremere quodammodo videtur. Cùm verò subtremit pulsus, & immodicè creber est, imminet, ait *Galenus, syncope. Perpetuum autem hoc habent phreniticorum pulsus, vt cum conuulsione quadam motus eorum abrumpatur. Hinc in illis pulsum & tremulum, & conuulsiuum notamus, vtrumque perniciosum.

libro 4. de caus. puls.

15 Nec enim vrina tingitur bile, quum hæc in cerebrum tota rapiatur.

16 Qui delirant, non norunt quando sit inspirandum, expirandúmque, quum obliuiosi sint. Itaque magnum & rarum spirant, vt longitudine respirationis id natura compenset, quod breuitate debet & frequentia fieri. ex *Galeno.

lib. 2. de difficult. respirat.

LETHARGI NOTÆ.

CAPVT III.

Est in [1] lethargo [2] sopor, & [3] spiratio rara
Magnáq;, [4] turbatum lotium, [5] velut oris hiat[9],

[6]Lenta febris,[7]tremulæque manus,[8]obliuio,[9]vultus
Decolor,[10]vndosúmque refert arteria pulsum.

1 Affectu phrenitidi contrario. Nam phrenitidis materia bilis est, at lethargi pituita.

2 A pituita cerebrum imbuente.

3 Nam lethargus obliuiosus affectus est. Ab obliuione verò cur talis fiat respiratio, dictum est cap.* superiore.

*part.16.

4 Nempe simile iumentorum, ab humore crasso, & spirituum in venis agitatione.

5 Cùm ab humiditate ventosa, tum quòd obliuiosus est lethargicus.

6 Febris in hoc affectu fit à putredine pituitæ: lenta, quoniam humor pituitosus tardi motus est.

7 Insurgente facultate contráque nitente humore crasso, viscidóque, quo nerui manus imbuuntur.

8 Ab intemperie frigida cerebri.

9 Albicans, & velut exanguis à pituitæ dominio.

10 In lethargo pulsus est vndosus, magnus, rarus ac languidus. Vndosus quidem, ab arteriæ mollitie: magnus, ab eiusdem facili dilatatione propter mollitiem, & humoris copiam: rarus à caloris paucitate: à facultatis imbecillitate languidus.

RELIQVORVM A LETHARGO SOPOROSORVM AFFECTVVM *signa. Caput quartum.*

NVLLA caro[1]febris, sopor est sed tantus in ægro,
Vt[2]motu sensuque vacet,[3]clausique putentur
Interiisse oculi, sed inerti in corpore vitam
Esse docet[4]facilis spiratio. Sic catalepsin,
Seu catochen, oculus signat[5]reseratus vterque,
Immotúsq; manens. Notat[6]omnem Coma soporẽ.

1 Quæ lethargum à caro distinguit. Hic enim febris est expers, ille particeps.

2 Sopita facultate motus & sensus ob humoris frigidi, lenti, cras-

craſſique copiam.

3 Humor enim craſſus in caro priores cerebri vētriculos obſidet, qui muſculos palpebras mouentes premens, efficit vt oculi clauſi ſint.

4 Quia poſteriores cerebri partes aut non, aut minimùm offenduntur in caro, ſatis ſpiritus in mouendi neruos illabitur, quo motus thoracis conſeruetur, vnde facilis ſpiratio.

5 Apertos eſſe oculos, & in hoc habitu cōſiſtere quo correptus ſit æger, pathognomonicum habetur catalepſeos ſeu catoches ſignum. Cauſa eſt ſiccitas, oculorum muſculos tendens. Quem affectum vidimus ſemel in muliere quinquagenaria, quæ noſtris vſa remediis, priſtinæ eſt reſtituta ſanitati.

6 Coma velut cataphora, dicitur omnis in ſomnum delatio. Illud quidem duplex quum ſit, ſoporiferum & vigilans, lethargus & caros ſoporiferi comatis nomine comprehendi poſſunt, catalepſis & catoche, vigilantis. Quod elici poteſt ex Galeni comment. * 3. in prorrhet. Quanquam ſoporoſorum affectuum *cap. 1. diſtinctio valde confuſa apud authores eſt.

APOPLEXIÆ [1]SIGNA.

CAPVT V.

SIN apoplexia ſit, [2]motus ſenſúſque [3]repentè
Concidit, eſt [4]dyſpnœa, grauis ſtertórque prehendit.
Tollere quam nequeas, niſi ſit [5]reſolutio membri.

1 Coniuncta. Nam antecedentia ſunt capitis dolor acutus, & confertim, obſidens iugularium venarum elatio, vertigo, ſplendor oculorum, extremarum partium frigus, totius corporis palpitatio, motus difficultas, dentium inter dormiendum ſtridor, lotium æruginoſum, nigrum, paucum, farinaceum ſedimentum habens, inquit * Paulus Ægineta. libro 3. cap. 18.

2 In apoplexia priuatio ſenſus motúſque fit, quia principes ventriculi, corpúſque cerebri turgent humore, quo facultatem impediente ſpiritus animalis aditu in neruos prohibetur.

3 Inde Galenus lib. 3. * de loc. affectis, Cauſam apoplexiæ con- *cap. 5. tendit eſſe frigidum, aut craſſum, aut viſcidum humorem, cere- *coment. bri ventriculos confertim imbuentem: qui tamen aliam etiam ad aphor. alibi * ſtatuit, nempe diatheſin phlegmonoſam in cerebro. 42. lib. 2. Aphoriſ.

4 Quum apoplexia fiat ob plenam consummatámque priuationem virtutis ad neruos affluentis, mirum est, cur musculi thoracis moueãtur ad respirationem. Sed causa est respirationis necessitas, vim neruis contentam excitantis.

5 Apoplexiam fortem nullo prorsus modo, debilem ægrè curaneris, ait *Hippocrates. Ergo sola debilis apoplexia (quæ dignoscitur ex æquali respiratione, vt fortis ex inæquali) degenerat in paralysin, protrusa nimirum è posteriore cerebri ventriculo in spinalis medullæ partem alterutram materia. Quod non contingit à caro, in quo tantùm opplentur anteriores cerebri sinus, non etiam posterior.

* *Aphor. 42. lib. 2. Aphoris.*

[1]VERTIGINIS NOTÆ.

CAPVT VI.

AVRIS [2]tinnitus, [3]capitis dolor, & [4]graue pondus,
[5]Externi vitium sensus, [6]stomachive, notabit
Affectum, [7]verti quo creditur omnia circùm.

1 Vertigo, capitis affectus est, quo ita cerebrum & sensus exagitantur, vt circumagi videantur omnia. Δῖνος Græcis dicitur, cùm simpex est: Σκοτόδινος, cùm offunduntur oculis tenebræ. Quorum commune nomen est Σκότωμα.

2 A flatulento spiritu.

3 Cùm vellicantur capitis membranæ,

4 Ab humoris copia.

5 Vt auditus & olfactus oblæsio.

6 Cuius generis est anorexia, nausea, cardialgia. Túmque cerebrum afficitur ventriculi sympathia, non affectu primario.

7 Periphrasis est vertiginis.

[1]EPILEPSIÆ SIGNA.

CAPVT VII.

C[2]ONCIDIT, & [3]stertit, [4]lotium seménque profundit,
[5]Membra quatit, [6]stridet, [7]spumat, [8]clamátque [9]caducus.

1 Quæ conuulſio totius eſt corporis. Hæc quidem in cerebro ſemper ſuam habet ſedem, ſed materia vel ibi gignitur, vel illuc e ventriculo, aut alia qualibet parte corporis, vt vtero, cruréve tranſmittitur.

2 Affecto repentè cerebro, motus ſenſúſque principio.

3 Quale ſignum eſt in apoplexia, à qua nec ſede, nec cauſa, ſed ſola magnitudine differt epilepſia. Stertor verò fit, decumbente in fauces, & tracheiam arteriam pituita, fauciúmque & colli venis ſanguine turgentibus, viáſque pulmonis arctãtibus.

4 Solutis veſicæ muſculis. Quod tantùm accidit in graui paroxyſmo.

5 Labefactata, ſeu reſoluta ſpermaticorum organorum retentrice facultate, ob motum tremulum & conuulſiuum.

6 Stridor dentium fit, ait *Galenus, muſculis temporalibus & maſticatoriis affectis motu conuulſorio, quo etiam contingit partes faciei epileptici peruerti. cõment 1. in ꝓgnoſtic. part. 21.

7 Ex motus vehementia.

8 Id fit cùm repentè cadit, affectus magnitudine. Aliàs ferè ſemper ſilet epilepticus, vt in multis obſeruauimus, Hinc obmuteſcere, comitialis morbi ſignum eſſe vult author libri de morbo ſacro.

9 Epilepſia ſic dicitur, quia mens & ſenſus ἐπιλαμβάνονται, i. intercipiuntur ac vinciũtur in hoc affectu. Qui caducus morbus à cadendo nominatur. hoc enim affecti repentè concidunt. Comitialis à comitiis, quæ tum olim ſoluebantur, cùm eò corripiebatur quiſpiam. Herculeus, itémque ſacer, à magnitudine. Puerilis, quòd pueros ſæpe vexet, cùm ob crapulam, tum intemperiem humidam eorum cerebri. Lunaticus, quòd interlunio natos corripere ſoleat, & Lunæ motu concitetur. Veterib[9] elephanticus, ob curationem deſperatam. Vix enim ab anno 25. ſanatur, vt habet Hippocratis aphoriſmus 7. lib. 5.

INCVBI SIGNA.

CAPVT VIII.

M[1]ENS ſtupet & ſenſus, [2]ſpiratio læditur, & vox,
Et graue [3]terret onus, quãdo premit[4] incubus ægrũ.

1 Craſſioris pituitæ, vel melancholiæ vapore è præcordiis in cerebrum expirante.

2 Presso diaphragmate cum pulmonibus è subiecta crassa flatulentáque materia.

3 Putat enim æger ingenti se mole premi, suffocationísque non leui timore percellitur, ob grauem corporis oppressionem.

4 Qui maniam, epilepsiam, apoplexiámve solet præcurrere. Ephialates & Pnigaliō Græcis appellatur hic affectus, nec Deus, nec semideus, nec Dæmon, nec incubans vetula (quod veteres aliquando crediderunt) existens, sed vapor quidam crassus, qui partim vias spiritus animalis intercipit, vnde vocis, & spiritus difficultas, partim in cerebrum elat⁹, animū spectris exagitat.

DE [1]MELANCHOLIA MORBO.

CAPVT NONVM.

SIGNA [2]melancholiæ [3]duo sunt, mœrórque, metúsque.

1 Quæ est imaginationis deprauatæ symptoma, cerebri frigidam, & siccam intemperiem consequens, ideóque sine febre: cui Lycanthropia, Maniáque plerumque succedit.

2 Melancholia triplex est: Vna, in qua cerebrum afficitur primario, quæ vulgo melancholia morbus (quam hîc notamus) appellatur: Altera per consensum vetriculi, quæ vocatur hypochondriaca. Tertia, totius corporis vitio fit. A toto corpore fieri cognoscitur, si niger est, & hirsutus corporis habitus, aut flauus, vigiliæque præcesserint: si latæ venæ, ruboreq; saturata facies, si hæmorrhois, aut alia quæuis consueta vacuatio suppressa: si fuerit ciborum atram bilem gignentium solitus esus, aut ætas in senium vergens, cum anni constitutione frigida sicca. A ventriculo, si sumptus fuerit concoctu difficilis cibus, si ructus acidus est, flatus, æstus, palpitatio, & in præcordiis fluctuatio quædam: si ventriculi dolores vehementes aliquādo comitantur ad dorsum vsque protensi: vomitúsque subamarus, aut acidus insequitur. A cerebro melancholia primariò fit, si superiora signa non assistunt, metúsque & mœstitia diu, sine causa manifesta, perseuerant.

3 Assidentia melancholiæ signa multa sunt commemorata *capit. 4.* lib. 1. Sed hæc duo, melancholiæ morbi sunt pathognomonica.

SIGNA

SIGNA [1]CATARRHI.

CAPVT DECIMVM.

QVVM pituita mouet liquidum malè ſana catarrhum,
[2]Frigus ineſt capiti, facies fit pallida, [3]murmur
Vox ciet, & [4]ſopor eſt, vrináque [5]crudior exit:
[6]Mens ſtupet & ſenſus, [7]motus torpore tenetur.
Sin calor in cauſa eſt, [8]oculus rubet, [9]interiórque
Pars oris [10]lacerata dolet, dolet & [11]caput omne.
[12]Teter odor penetrat nares, color [13]aureus extat
Emiſſo in lotio. [14]Scapulas lumbóſq; catarrhus
Permeat interdum, varióſque effuſus in artus
Efficit innumeris corpus miſerabile morbis.

1 Qui eſt humoris ſuperuacanei è capite in ſubiectas ſedes decubitus.

2 Ex pituitæ dominio.

3 Non habente liberum exitum vocali materia, quia fauces intercipiuntur.

4 Cerebri ventriculis pituita turgentibus.

5 Prolabente per venoſum genus in renes pituita.

6 Eadem occupante cerebrum.

7 Ea pariter in cerebro contenta, vel in neruos, qui muſculos mouent, effuſa.

8 Tenuis bilioſiq, ſanguinis influxu in tenues oculorũ venas.

9 Vt palatum & fauces. Túmque catarrhus propriè branchus appellatur, vt coryza, cùm in nares illabitur. Vnde verſus,

Si fluit ad pectus, dicatur rheuma catarrhus,
Ad fauces branchus, ad nares eſto coryza.

10 Humoris influentis acrimonia.

11 Acri calore cerebri membranas pungente.

12 Humore corrupto circa priores cerebri ventriculos.

13 A bilis dominatu.

14 Per externas venas & arterias.

[1]OPHTHALMIÆ SIGNA.
CAPVT XI.

SI [2]rubor [3]adnatæ, [4]sordes, [5]lachrymæque, [6]dolórque est
[7]Distendens, pulsansque, ophthalmia [8]vera fatigat.

1 Quæ est oculi phlegmone, lippitudo vulgò dicta.
2 Ob sanguinis affluxum, quo tenues oculorum venæ turgēt, quæque in eorum adnata fuerant obscuræ, conspicuæ fiunt.
3 Adnata tunica (cuius color est candidus) ita dicitur, quoniam adnascitur corneæ: vt & coniunctiua, quia coniungit oculum cum orbita sua. Producitur autem hæc à pericranio.
4 In oculi cantho maiore.
5 Acres ob serum biliosum.
6 Ex calore.
7 Ex copia sanguinis, & spirituum.
8 Cuius causa est tenuis biliosúsque sanguis, in oculorum venas illapsus.

CAPVT XII.

SI sit [1]hebes, vel [2]nulla acies, [3]pupilláque fulget,
[4]Humoris vitiū, [5]nerui, [6]cerebrive putādum est.

1 Quem affectum ἀμβλυωπίαν vocant.
2 Quam visus priuationem Latini cæcitudinem, ἀμαύρωσιν Græci nominant.
3 In qua nullum appareat vitium extrinsecus.
4 Crystalloidis. Est autem humor crystalloides videndi primum organum. Hoc igitur læso, læditur & visus.
5 Vel resoluti, vel obstructi, vel contorti.
6 Spiritum animalem non suppeditantis, vel corrumpentis ob intemperiem aut simplicem, aut cum humore. Túncque non visus modò, sed & reliqui sensus afficiuntur. Spiritus autem visorius, vel crassus & paucus est, vt in senibus, & nyctalopibus: vel crassus, & multus, túncq; longo quidem tempore, sed in aere luminoso fit visio: vel paucus & subtilis, vt in myopibus: vel paucus

cus, subtilis, & lucidus, & tunc oculi noctu magis micant, sed statim hebescunt; quod de Tiberio Cæsare prodidit Suetonius in eius vita: vel multus & lucidus, & tum acutè distinctéque cernitur: vt contrà perit visio, si paucus & obscurus insit oculis animalis spiritus.

[1]SVFFVSIONIS NOTÆ. CAPVT XIII.

Si fumi, muscæve oculum, tepidive vapores
Eludunt, & ab his [2]nubes hærere videtur
[3]Cerula[4] pupillæ, vel [5]grandinis æmula duræ,
Detinet affectus, [6]suffusio dicta Latinis.

1 Suffusio duplex. Vna cerebri, de qua nunc agimus, & hæc propriè dicta suffusio: Altera ventriculi sympathia fit. In illa, vnus duntaxat oculus falsis rerum simulachris semper eluditur: in hac, visa discedunt, ac deinde recurrũt, & oculum vtrumque simul obsident.

2 Pathognomonicum veræ suffusionis signum.

3 Qui color, vt & aureus, sanabilem indicat suffusionem.

4 Cuius foramen via est spiritus animalis, qua rerum externarum species cernuntur, & excipiuntur.

5 Talis color, vt & gypseus, incurabilis suffusionis est nota, quia perfectam indicat humoris concretionem. Sic, si clauso sano non tumet suffusus oculus, nec pupilla dilatatur, desperata res est. Idem iudicandum, si suffusio locum mutet.

6 Græcis ὑπόχυσις, & ὑπόχυμα, vulgo catarrhacta. Quæ est humoris præter naturam, vel in pupilla, vel inter rhagoidem tunicam, & crystallinum humorem concretio. Prolabitur autem hic humor à cerebro per opticum neruum.

AVRIS [1]PHLEGMONES SIGNA. CAPVT XIIII.

V[2]ix tumor aut rubor est, auris cùm accensa tenetur,
Sed [3]pulsans, [4]pũgénsq; dolor, grauis & calor intus

Æstuat, vnde [5]febris, facto quæ pure quiescit.

1 Quæ colligitur inter crassiorem membranam, & eam quæ auris meatui prætenditur.
2 Nisi geminato malo externa trahantur in consensum.
3 A spirituosi sanguinis affluxu.
4 Ex acrimonia humoris, sensibili, nempe membranosa parte contenti.
5 Quæ lenta solet esse, quia materia pauca, & à corde longè distans.

PAROTIDIS NOTÆ.
CAPVT XV.

Post aures [1]tumor atque rubor, dolor, & calor ingens
Existunt, quando formatur [2]vera parotis.

1 Veræ phlegmones signa sunt tumor, rubor, calor, dolor. Eius generis est vera parotis, in iis glandulis sedem habens, quæ circum aures positæ iacent.
2 Interdum enim parotis phlegmone vera non est, sed tumor œdematis particeps: túncque superiora signa manifesta non habet, sed hoc magis remissa, quo pituitæ plus inest.

NARIVM AFFECTVVM
SIGNA. CAP. XVI.

Foetet odor, [1]squallens si nares obsidet vlcus.
Sin tumor his [2]calidus, [3]sarcoma, [3]coryzave noxæ est,
[4]Interiit liquidi, minor est vel sēsus odoris.

1 Putrido vapore foras exhalante.
2 Vt ozæna, & vlcus è lue Venerea contractum, quod narium ossa tenella solet exedere, &, si non occurritur, corrosa palati ossa, magna deformitate perforare.
3 A quibus affectibus sic obstruuntur aliquando nares, vt vapores

pores ex rebus odoriferis per eas efferri nequeant in anteriores cerebri ventriculos, in quorum finibus odoratorum ſenſus perficitur.

4 Si meatus narium penitus occupentur, vt poteſt in ſarcomate polypove cõtingere carnis incremẽto, perit omnino ſenſus. Si non, vt in coryza, in qua vel natura, vel arte pituita transfluit, odoratus minuitur, nec de rebus odoriferis integrum iudicium ferri poteſt.

LINGVÆ DEPRAVATÆ SIGNA. CAP. XVII.

P[1]ERVERSVS guſtus,[2] vox inconcinna, [3]ſtuporve
Sæpius accedit, vitio ſi lingua tenetur.

1 Humore vitioſo, ſæpiúſque vel ſalſo, vel amaro, vel acido linguæ corpus, præſertimque membranam illius imbuente, qui vel ex inferis ſedibus eò conſcendit, vel illuc è cerebro decubuit.

2 Qualem habent blæſi, balbíque, ob linguæ breuitatem, vel craſsitiem nimiam, aliudve naturale vitium conformationis: aut ob humoris linguam proluentis copiam, aut exuperantem ſiccitatem.

3 Impeditis neruis ſeptimæ coniugationis cerebri, qui linguæ motum dant, vt nerui tertiæ coniugationis ſenſum.

INFLAMMATÆ COLVMELLÆ SIGNA. CAP. XVIII.

OESOPHAGVM faucéſque tumens ſæpe vua fatigat,
[1]Incaſſumque vorãs, timet, hæc [2]ne ſtrangulet, æger.

1 Impedito aditu cibi in œſophagum ab vuulæ (quæ phlegmonem patiens diſtenditur longiórque fit) corpore.

2 Non tantùm obſtructa via cibi, ſed etiam ſpiritus. Sed hic metus nullus eſt, cùm reſpiratio ſit libera.

ANGINÆ SIGNA.
CAPVT XIX.

NON bene deglutit, [1] ſpiratque Cynanchicus, inque
Faucibus ardentem queritur ſe ferre [2] dolorem.

1 Anguſtioribus redditis meatibus, per quos cibi, potus, & ſpiritus introitus eſt, ab inflãmatione gulæ gutturíſque muſculorũ.

2 Dolor in angina fauces aut ceruicem occupans fit ob tumorem, quem in collo conſpici bonum eſt. Foras enim vertitur morbus, inquit * Hipocrates. Si verò non apparet (inflammatis tantùm laryngis, fauciumve muſculis interioribus) tumor, febríſque derepentè cum ſuffocatione ſuperuenit, eodem, tertiove ad ſummum die expectanda mors. Nec verò ſemper in angina dolor eſt, tumorve phlegmonodes: ſed interdum tumor anodynus ac doloris exors excitari poteſt, interiore gutturis madefacta tunica ob copiam pituitæ decumbentis, vt monet * Galenus.

* *Aphor. 37. lib. 6. aphoriſm.*

* *cõment. ad Aph. 34. lib. 4. aphoriſm.*

[1] OBSTRVCTI PVLMONIS SIGNA. CAP. XX.

SPIRITVS obſtructo grauis eſt pulmone, [2] premitque
Humor in [3] hoc latitans: quem ſi non aſpera tuſſis
Excludit, ſenſim [4] ſicceſcit, & [5] Aſthma procurat.

1 Cauſa eſt humor multus, craſſus, atque lentus, grando, lapis, ſeu calculus, & crudum tuberculum pulmonis vias impediens, vnde ſpiritus ægrè ducitur.

2 i. oppreſſionis eſt cauſa.

3 In pulmone, vel potiùs ipſius alis, ſeu brõchiis qui continetur humor excrementitius, ſenſum oppreſſionis inuehit, tum quia grauis eſt, tum quia fuliginoſorum excrementorum exitũ, & aeris aditum prohibet.

4 Calore cordis, & pulmonis: túmque ſtertor quidam & ſibilus

bilus eliditur, partim quia ſiccus eſt reddit⁹ humor, partim quia pulmonum alis, quæ natura ſiccæ ſunt, pertinaciter impactus, vias ſpiritus anguſtiores reddit.

5 Aſthma Græcis, ſuſpirium Latinis appellatur, quoniam in eo tanta reſpirationis difficultas eſt, vt vix niſi recta ceruice ſurſum ducatur ſpiritus: vnde & aſthmatici verè dicuntur orthopnoici. cauſa eſt, humoris craſſi lentíque brõchiis pulmonum impacti copia, crudumve tuberculum in pulmonibus genitum: ideóque febris expers hic affectus eſt, quia frigidus.

CATARRHI PRÆFOCANTIS INDICIA. CAP. XXI.

SIBILVS, & ſtertor [1] citus, & [2] dyſpnœa, repentè
Conſurgens, [3] comes eſt iugulãtis ſæpe catarrhi.

1 In catarrho ſuffocante repentina fit, inopinatáque fluxio, quæ ſuis ſymptomatis, imminentis exitii metum incutit.

2 Veriùs orthopnœa, cùm altus & ſuſpirioſus ducatur in hac affectione ſpiritus.

3 Sic dicti, quòd ſubitò iugulet, niſi quamprimum occurratur. Sunt autem aſthmatis & catarrhi ſuffocantis ſigna communia. Sed in illo ſenſim, in hoc repentè ſe proferunt. Talis verò catarrhus aſthma ſequitur interdum, nempe cùm ad pulmonum infarctus accedit repentina, multáque in illos fluxio, ab humidiore cælo, vel ſolo, vel crapula contracta. Quem affectum nobis videre ſæpe licuit, & conuenientem adhibere ſanationem.

PERIPNEVMONIÆ SIGNA. CAPVT XXII.

IN [1] peripneumonia, [2] dyſpnœa, rubórq; [3] genarum
Exiſtunt, oculíque [4] tumẽt, [5] graue põdus in imo
Pectore fit, ſternum [6] retrahens, hypochondria, dorſum.
Spiritus exhalat [7] calidus, ſputumque cruentum
[8] Interdum tuſſi erumpit, febríſque perennis
[9] Æſtuat, & pulſus [10] mollis ſentitur vt vnda.

1 Peripneumonia, seu pulmonis inflammatio duplex: vera, notháque. Vera phlegmones, aut erysipelatis speciem gerit. Atque si non anginæ, vel pleuritidi succedit, sed per se nascitur, fit ex sanguine bilioso, tenuíque, è dextro ventriculo cordis per venam arterialem in pulmones violentiùs excusso, ibique putrescente. Quod ratum est. At notha peripneumonia, quæ frequẽtior in his locis est, ab acri tenuique destillatione contrahitur, è cerebro cõfertim in pulmones illapsa, sine cruenta (quæ in propria peripneumoniæ specie fit) expuitione.

2 Ob vehementem in pulmone cordeque calorem, & viarũ spiritus angustiam, aut virium imbecillitatem. Quæ tres constituuntur à Galeno dyspnœæ causæ.

libro 4. de loc. affect. capit. 6.

3 Ex tenui calidóque vapore è pulmone in eas elato, quo venularum eius loci sanguis accenditur. Accensus verò rubere cõspicitur, ob tenuitatem & raritatem cutis.

4 Vapores enim ex pulmone recta conscendentes in oculos, humorem in eis contentum rarefaciunt, ac dilatant.

5 Attracta per calorem è vicinis venis & carnibus, vt loquitur *Hippocrates, materia. Quæ, vt copiosior est, ita magis pulmonem onere grauat, & periculosum inducit affectum.

libro 1. de Morb.

6 Vi caloris, cui trahendi concessa vis est.

7 Inclusa pulmoni materia calida.

8 Nõ semper in peripneumonia cruẽtum expuitur: sed tum, cùm hæc est vera phlegmone, coctáque materia. Sin erysipelas est, biliosum: vt album, si pituita decumbit à cerebro.

9 Ex materiæ pulmoni inclusæ qualitate febris maior, aut minor est. In bile quidem acutissima: remissior in sanguine: in pituita, ferè lenta.

10 Quia pars mollis, pulmo nimirum, afficitur. Cæterùm paulo durior est pulsus à bile, mollior à sanguine, mollissimus & vndosus à pituita.

[1]SIGNA [2]PHTHISEOS.

CAPVT XXIII.

PROMINET his [3]humerus, dira qui tabe tenentur,
Sunt [3]graciles aures, [4]oculus cauus, [5]arida febris,
[4]Tempora lapsa, [6]fluunt supera de parte capilli,
Est pedibus, manuúmque volis [7]calor, excutiturq;
Per [8]tussim [9]cruor, aut [10]sanies [11]fœtore molesta,

Spiritus

Spiritus [12] haud facilis, [13] costæ sine carne, recondit
Pectus [14] onus, [15] liuet facies, palletve, tumetve,
[16] Debilis est pulsus, [17] languor, [18] marcorque, caduci
Corporis, [19] incurui fiunt velut alitis vngues,
Interdum fluit aluus, & hinc [20] prædicito lethum.

1 Phthisis exulceratio pulmonis est. Cuius duæ causæ sunt: vitiosa constitutio pulmonis & humor exedens.

2 Eius musculis marcescentibus, si tabis initium est, aut marasmo consumptis, si phthisis est absoluta.

3 Carnosa substantia, quæ pauca est, citò consumpta, cartilaginosaque superstite.

4 Ossea relicta substantia, dissipata carnea.

5 Consumit ea primò spiritus: deinde carnes colliquat, partésque solidas demum extorret, & exiccat.

6 Exhausto siccitate partis alimento, vel eo non affluente, quia naturalis facultas languet.

7 Volæ manus, & plantæ pedum naturali constitutione siccissimæ, ideoque glabræ. Quia verò siccissimæ sunt, incalescente per viscerum ardorem, & febrem in phthisi corpore, promptissimè suscipiunt incendium, & calidæ siccæque tanguntur.

8 Ex acriore defluxione: qua tabidi non modò tussiculosi, sed & rauci fiunt.

9 Rupta, vel exesa in pulmonibus vena: vel corrupto pulmone, cuius portio putris interdum excludi cernitur. Non autem omnes tabidi cruentum, aut purulentum excreant, vt nec peripneumonici, de quibus superiori cap. part. 8.

10 Aut pus: quo suppresso, mors.

11 Qui tabe vexantur, si sputum quod extussiunt, carbonibus iniectum fœtet, perniciosum. Hoc enim putrere pulmonis substantiam, & ex consequenti tabescere cor indicat, natiui caloris penuria.

12 Nec enim alæ pulmonis satis expanduntur ad cor flabellãdum, ob illius siccitatem, & virium imbecillitatem.

13 In tabidis costæ primùm & maximè visuntur excarnes. Earum namque musculi promptissimè omnium colliquescũt, quia pulmoni cordíque (caloris foco) vicini sunt, & natura valde tenues.

14 Purulenta materia in pulmone contenta.

15 Extincto pene natiuo calore.

16 Imminuto vitali spiritu.

17 Ex virium impotentia.

18 A ſiccitate partium, etiam ſolidarum.

19 Vngues alimento ſuo deſtituti reſiccantur: & ſiccitate curuantur, præſertim conſumpta digitorum carne.

Aphoriſ. 11, 12, & 14. libr. 5.

20 Tria ſunt apud*Hippocratem &*Galenum mortis ex tabe ſigna certiſſima: fœtidũ ſputum, capillorum caſus, aluíque fluor. Duorum primorum ratio nuper eſt expoſita. Fluor autem alui idcirco perniciem adfert, vel quia partes ſuperiores (eas præſertim quæ thorace continentur) ita reſiccat, vt nec tandem moueri queant, nec aerem inſpirare: Vel quia partes omnes debita inſtauratione fraudando vires deiicit.

comment ad aphor. 14. libr. 5. aphoriſm.

PVRVLENTORVM SIGNA.

CAPVT XXIIII.

EMPYVS eſt, quiſquis patitur [1]ſub pectore pondus,
[2]Incaſſum tuſſit, [3]ſudatque, rubore genarum
[4]Tingitur, atq; [5]cauos oculos habet, aſpicit vngues
[6]Curuari manuum, digitóſque caleſcere[7] ſummos.
His [8]febris comes eſt, & circum [9]puſtula corpus
Erumpẽs, [10]dyſpnœa, [11]pedum tumor, atq; [12]ciborũ
Auerſus guſtus, [13]ſitis, & (ſi[14]nulla ſalutis
Eſt via) pus[15]viride, aut liuẽs, [16]ſpumáſve profuſum.

1 Inter thoracem & pulmonem abſceſſu facto, ſæpius ex inflammatione pulmonis, vel eiuſdem vomica rupta, vel angina, vel pleuritide.

2 Nec enim commentatione dignum quid expuit purulentus tres ob cauſas, nempe lentorem puris, denſitatem membranæ pulmonẽ ambientis, & facultatis expultricis imbecillitatem.

comment. ad caput de empyemat. libro prognoſt.

3 Vel ſudore, *Galeni ſententia, continuo: qui malus eſt, quia virium imbecillitatem arguit, alimento diſcuſſo. Vel eodem in ſola remiſſione febris apparente, vt *Aretæo placet: qui minus habet periculi.

libro 1. de ſignis diuturn. morbor. cap. 9.

4 Inflammato pulmone.

5 Oculi caui fiunt in febribus, & acutis, & longis, ardore febrili populante, conſumentéque partes eorum carnoſas: confeſtim quidem in acutis, in longis ſenſim.

6 Curuan-

6 Curuātur vngues in empyemate, quia caro, quæ hos vtrinque firmat, consumitur. Vnde partes eorum solidæ, quæ reliquæ sunt, veluti siccitate conuelluntur.

7 In diuturnis morbis extrema digitorum magna ex parte refrigescūt: quia quicquid est natiui caloris intrò cogitur, & natura minus bene concoquens assumptum alimentum, ea suo genio fraudare solet. Est tamen, cùm tabes viget, in summis digitis calor. Nam hectica febris solidas sedes occupat: in quibus solis consumpta carne relinquitur humor, caloris pabulum.

8 Hectica.

9 Erodente sanie in corporis habitum effusa.

10 Obsesso à materiæ purulentæ copia thorace: vnde nec pulmo, nec cor bene dilatantur.

11 Incipiente ab his totius corporis extinctione, vtpote longè distantibus à fonte natiui caloris, & plus habentibus osseæ, membranosæque substantiæ, quàm carneæ.

12 Appetendi facultate (quæ in ore ventriculi sedem habet) emoriente.

13 A siccitate partium, & febre.

14 Vt nulla est, cùm dicta superius signa vigent. Contra verò maxima spes salutis affulget, quum febris eodem post eruptionem die dimiserit, ciborum appetitus citò redierit, sitis reliquerit, venter parua compactáque egesserit: pus album, læve, concolor apparuerit, & à pituita liberum, citráque dolorem, tussimque repurgatum.

15 Quod significat à calore flammeo affatum humorem serosum. Cæterùm per viride sputum intelligas æruginosum & croceum, vt monet apud Hippocratem *Galenus. *comment. 2. part. 47. libr. prognost.*

16 Quum in empyemate crassus ac viscidus humor in thorace contineatur, calórque sit pulmonis & cordis: calor hic agēs in crassum & lentum humorem spumantis sputi causa fit. Quod colligere licet ex his quæ elixātur. Hæc enim, si tenacem naturam habuerint, spumam ptoferunt, ait *Galenus. *comment. ad aphor. 30. libr. 7.*

SIGNA PLEVRITIDIS.

CAPVT XXV.

QVVM [1]pleuritis habet, [2]febris comitatur acuta,
Fitque dolor [3]pungens lateris, [4]spiratio [5]parua

[5]Crebraque,[6]nec facilis,[7]tussis repetitq; frequēter,
[8]Exiguumque notat,[9]durumque arteria pulsum.

1 Pleuritis, est inflammatio membranæ costas succingentis. Quæ duplex. Interna, seu vera (cuius hîc signa pathognomonica commemorantur) & externa seu notha. Vera fit à sanguine, qui è caua vena in eam, quæ azygos appellatur, ac dein in tenues costarum venas impetu quodam incurrit: hisque vel apertis, vel disruptis insilit in musculos mesopleurios, aut succingentem costas membranam. Notha fit à flatu: tuncque dolor vagus est. Aut destillatione, præcessitque vel in ceruice, vel scapula dolor. Aut sanguine, qui è caua vena in alam emergens propagatur in partes thoracis externas. Distinguitur autem notha pleuritis à vera: quòd in hac dolor lateris internus est, & facilis in latus ægrum decubitus: In illa, dolor externus, tactu, pressuque excandescens, proindeque molestè in latus ægrum inclinatur, in sanum facilius.

2 Ob cordis viciniam, & putridum, feruidúmque sanguinem.

3 Quia membrana succingens lancinatur, ac diuellitur ab humoris acrimonia, vt ab eiusdem copia tenditur.

4 Fuliginosorum excrementorum abundantia, pulmonis, cordísque motum liberum impediente.

5 Vt respiratio, quæ debet esse magna, nec potest, frequentia compensetur.

6 Arctatur enim interna thoracis capacitas à materia phlegmonosa, succingente membrana contenta.

7 Tussis, est efflatio vehemens, qua quicquid instrumentis spirandi molestum est, expellere natura contendit. Per quam si laudabile sputum appareat initio pleuritidis, morbus breuis. Sin differat, longus est futurus. Aut enim citò suffocabit, aut in empyema vertetur, nisi venæ sectio (remedium in hoc affectu singulare) κατ' ἶξιν facta, causam antecedentem sustulerit. Quod de vera pleuritide audiendum. Nec enim in notha (quæ externos costarum musculos occupat) tussim, aut sputum non esse damno est, vt neque tensionem, neque duritiem pulsus, nec febrem, nec spirandi difficultatem. Eius quippe materia thorace non clauditur, vt eius pondere pulmo grauetur, aut putri vapore cor lacessitum incandescat.

8 Cor namque minus dilatatur, quoniam opprimitur.

9 Afficitur quippe membrana, quæ natura dura est, vtpote densata frigore.

CRV-

CRVENTÆ EXPVITIONIS E PVLMONE VEL THORACE *signa. Caput vigesimum sextum.*

P[1]VRPVREVS, [1]tenuísq; cruor, [2]spumánsque, frequenti
Exclusus tussi [3]nullo comitante dolore,
[4]Pulmonem accusat: Grauis est sin tussis, & illa
[5]Crassus in os resilit sanguis, grumosus, & ater
Inferius vitium est, & pectore conditur imo.

1 Qualis est pulmonis color & substantia.
2 Ob eius calorem, tenuitatem, motum.
3 Sanguis quum educitur è pulmone, dolorem non excitat, quia neruus interiorem illius substantiam non ingreditur. Quæ causa est, vt pulmonis affectus initio ferè lateant, & bene cogniti vix sentiantur.
4 Non tantùm è thorace vel pulmone cruenta manat expuitio, sed etiam ex aliis locis. Quã peculiaribus signis internoscere licet. Qui enim è gula ventriculove sanguis profunditur, vomitione: Qui è gingiuis, lingua: Qui ex ore, expuitione simplici: Qui è faucibus & gurgulione, screatu: Qui ex gutture, tussicula: vt qui ex pulmone, vel thorace, tussi reiicitur.
5 E thorace crassus & grumosus, nigerque sanguis exit, quia postquam is è venis aut ruptis, aut apertis, aut erosis excidit in illius capacitatem, aliquandiu ibi retinetur, dum in asperas pulmonis arterias traducatur, ab hísq; per tussim excludatur.

SIGNA SYNCOPES. CAPVT XXVII.

T[1]EMPORA si subitò ceruíxq; madore gelãtur,
Ménsque labat, sensúsque, extremaque corporis algent,
Si pallet facies, & pulsus nullus habetur,

Aut rarus nimiùm, cordis cadit ignea virtus.

1 Hæc omnia venientia repentè, signa sunt resolutionis spirituum, in primis quidem vitalium, dein animalium, & naturalium. Vt enim partes principes inter se conspirant ad salutem: sic in morbo condolent, vnaque semel offensa trahit alteram in consensum.

SIGNA SPECIALIA FEBRIVM: ET QVOTIDIANÆ *primum*.

CAPVT XXVIII.

QVVM pituita putri [1] cor inficit vda vapore,
[2] Languidus est pulsus, [3] graue fit, turpíque [4] veterno
Segne iacet corpus, lotium [5] tenuatur, & albet.
[6] Frigus in ingressu febris est, [7] accessio longa,
[8] Nox grauis, & [9] liquidis crudísque resoluitur aluus.

1 Post signa Syncopes, proprii cordis affectus, peculiares febrium persequimur notas, quia febris est cordis affecti symptoma, nempe, calor præter naturam è corde in omne corpus effusus. Quæ, vel est primaria, vel symptomatica. Hæc nobilium partium, vt pulmonis, hepatis, ventriculi comitatur inflammationem. Illa (de qua sequentibus capitibus ad libri finem) in spiritibus, aut humoribus, aut solida substantia residet. Quæ spiritus occupat, Ephemera: Quæ consistit in humoribus, humoralis: in solidis verò partibus, hectica nominatur. Humoralis vel à plethora fit, vt simplex, & putrida Sinochus: vel à cacochymia: eáque aut pituitosa, quæ Quotidianam: aut biliosa, quæ Tertianam: aut melancholica, quæ Quartanam facit, in maioribus quidem vasis, continuam: in minoribus, aut extra vasa, intermittentem.

2 Pulsus languidus, vt paruus & rarus est initio paroxysmi quotidia-

Quotidianæ febris, quia facultas grauatur ab humore multo frigido, crassoque: pòst autem crebrior euadit vi vtriusque caloris, natiui nimirum, & præter naturam, qui cùm in accessionis augmento, tum in vigore consueuit pugnam indicere.

3 Humoris copia, & crassitie.

4 Cerebrum enim est sedes pituitæ, quæ mouetur, & peccat in quotidiana.

5 Obturatis namque meatibus tenue tantùm percolatur, præsertim initio morbi. Sub finem verò crassescit vrina, solutis obstructionibus.

6 Cùm est intermittens quotidiana. In cuius initio frigus est, languido motu progrediente pituita quæ extra venas est: pòst horror, eadem incalescente, concussaque validius.

7 Horarum octodecim.

8 Quia noctu pituita mouetur. Proinde tunc in quotidiana continua fit anadiplosis: In intermittente, paroxysmus simplex.

9 In quotidiana febre, liquidæ, crudæ, pituitosæque sunt deiectiones, cùm ob imbecillitatem ventriculi, tum ob humidi frigidíque succi dominium.

[1]SYNOCHI SIGNA.
CAPVT XXIX.

NOSCITVR ex [2]somno, [3]lotii, [4]vultúsque rubore,
Et pulsu Synochus [5]magno, [6]celeríque: calórque
Qui viget est [7]blandus, [8]turgescit vena, [9]torísque
[10]Ponderis est sensus, [11]dyspnœáque iuncta fatigat.

1 Συνόχος, Latinis cõtinens appellatur. Cuius materia sanguis est contentus vasis maioribus, inter alas & inguina positis. Hæc continua febris est, quia vapor eius assiduè cor impetit, dum integrè sit soluta. Synochus porrò duplex. Vna putredinis expers, quam Ephemeram plurium dierum nominat Galenus: altera putrida. Quæ cùm vnicam tantùm habeat accessionem, vt reliquæ continuæ, tres tamen eius differentiæ statuuntur. Aut enim æqualiter viget, neque crescens, neque decrescens: hinc ὁμότονος πυρετὸς dicitur & ἀκμαστικός. Vel sensim augetur, & ἀναβατικὸς seu ἐπακμαστικὸς vocatur. Aut ab initio ad finem vsque minuitùr, vnde παρακμαστικὸς, deductis ex Græcia propriis nominibus,

appellatur.

3 Vrina rubet in synocho, sero sanguinis eius copiã referente.

4 Repete causam ex libro primo, capite 2. part. 7.

5 Ex sanguinis & spirituum arterias implentium copia.

6 Celer quidem est pulsus in omni synocho propter vsum: sed æqualis in ea, quæ putredinis expers est, inæqualis aliquantulũ in putrida. Nam in hac, systole quàm diastole concitatior tactu percipitur, quia maior expurgandæ fuliginis, quàm refrigerandi cordis incumbit necessitas.

7 Referente qualitatem sanguinis.

8 Sanguis enim quantitate peccat: sola quidem in Synocho non putrente: in putrida verò, etiam qualitate. Quamobrem in hac non venæ sectioni tantùm, sed & purgationi locus esse debet, quum sit cacochymia plenitudinis comes.

9 i. musculis.

10 Exonerantibus se venis maioribus in minores.

11 Vide cap. 2. lib. 1. partic. 10.

[1]TERTIANÆ SIGNA.

CAPVT XXX.

QVVM viget hæc febris terna quæ luce recurrit,
Fit [2] rigor, & [3]vomitus, [4]capitis dolor, & calor [5]acer
[6]Percurrit corpus, [7]sitis, & [8]dyspnœa fatigat,
Sunt [9]vigiles oculi, lotium micat, instar & auri
[10]Flauescit, pulsus [11]vehemens, [12]durúsque resurgit,
Inque paroxysmi est extremo tramite [13]sudor.

1 Febris à bile, tertiana dicitur, quia tertio quoq; die recurrit accessio, simplex quidem, si febris est intermittens: sin continua, fit anadiplosis. Huic Καῦσος est ὁμογενής. Easdem enim causas agnoscit, eundem humorem: in iisdémque corporibus, & eadem anni parte solet excitari. Sed inter se maioris minorísque ratione distinguũtur. Nam quæ symptomata remissa sunt in tertiana, hæc in causo summè vigēt: inter quæ duo sunt παθογνωμονικὰ, deurens calor, & sitis inexplebilis. Alia verò, vt lingua sicca, nigricãs & aspera, vigiliæ, delirium συνεδρεύοντα.

2 In febrium intermittentium initio frigus, aut horror, aut rigor fit, quia concitatus tum, quasique turgens humor putridus mem-

membranas concutit: et, si paucus est, vt in leuioribus tertianis: aut parum acer, aut lentus ac languidus, vt in quotidianis, solum frigus inuehit. Sin copiosior, aut acrior, aut concitatior, horrorem. Quum verò plurimus ísque vehementer acer ac mordax, vt in exquisitis tertianis, magno impetu in præcordia fuerit excussus, rigorem infert, vt disertissimè docet eruditissimus Fernelius. *libro 4. pathol. cap. 10.*

3 Sub rigoris finem excussa bile. Nam hæc è iecore venísque proximis, in quibus gignitur, commota per rigorem, orgasmo quodam in ventriculum influit, ex quo vomitu reiicitur.

4 Humore, vaporeve bilioso, & acri, cerebri membranas feriente.

5 Ex qualitate bilis.

6 Tenuissimus enim humor est.

7 Ob humoris calidi siccíque dominium: & quòd materia febrilis non procul abest à stomacho.

8 Cuius causas vide cap. 12. lib. 1. part. 19.

9 A siccitate cerebri.

10 Quia bile perfunditur.

11 In incremento statúque paroxysmi, pulsus vehemens ac frequens est, sed initio paruus, ac contractus.

12 Ab arteriæ & humoris in ea contenti siccitate.

13 In accessionis declinatione sudor fit, reseratis caloris vi cutis meatibus. Breuissima verò tertianæ febris est accessio, nempe duodecim horarum ad summum, quia biliosus humor (huius febris materia) paucissimus omnium est ac tenuissimus.

[1]HEMITRITÆI SIGNA.

CAPVT XXXI.

H[2]ORROR [3]continuæ iunctus notat hemitritæum.

1 Hemitritæus, seu semitertiana, sic dicitur, quia media materiæ pars ex huius humoris est genere, quo tertiana fit. Conflatur enim ex pituita, & bile: quæ quum æqualiter inter se miscentur, & peccant, exquisitam faciunt hemitritæum.

2 Accessionis quotidianæ signum est refrigeratio, tertianæ rigor: horror autem vtrinque medius. Quum igitur quotidianæ, tertianæque febris accessiones concurrunt in hac febre, fit horror. Hinc hemitritæus horrifica febris appellatur. Quæ pericu-

losa censeri debet, tum quia continua, tum quia contrariis cōstat humoribus, quorum vni si medendo conferas, alteri non rarò plurimùm incommodes.

3 Hemitritæus continua febris est. Vel enim ex cōtinua quotidiana fit, & intermittente tertiana: vel ex intermittente quotidiana, tertianáque continua. Coniicitur autem ex peculiaribus vtriusque signis, humorne pituitosus, qui quotidianam; an biliosus, qui tertianam constituit, exuperet. Nam, si biliosæ febris indicia plura sunt, qualia rigor, anorexia, vomitus, aut nausea, sitis, sudor, vincit bilis. Sin plura dominantis pituitæ signa comparent, vt frigus, sopor, albæ deiectiones, vrinæ crudæ, pituitosus humor abundat. Sin horror est, & humoris vtriusque signa miscentur æqualiter, exquisita fit hemitritæus.

SIGNA [1]QVARTANÆ.
CAPVT XXXII.

SI [2]quartana venit febris, penetrabit in [3]altum,
Ossaque cōtundet frigus, [4]tremor inde sequetur
Horridus, & stridor: lotium [5]tenuabitur, atque
Pulsus in [6]ingressu tardus, rarúsque [7]micabit,
Vt calor existet maior, propiórque vigori.
Sudor erit [8]paucus, reddentur sicca per aluum,
Lentáque [9]permultas accessio curret in horas.

1 Quartana febris, vel est vera, vel notha. Vera fit à melancholico sanguine, nempe vsto, frigido, siccóque, præcipuam in liene sedem adepto, senibus & autumno familiari. Notha, sæpius à flaua gignitur bile, non vsta quidem, sed quæ iam vritur & transit in atram, sub medium æstatis, & ætate consistentes corripere solita, cui fomes est in iecore. Fit interdū à pituita salsa. Quod ex humoris dominātis peculiarib⁹ signis erit cōspicuū.

2 Melancholia putris, Quartanæ causa continens est. In qua quarto quoque die paroxysmus, si febris est intermittens, reuertitur. Sin continua, quæ rarò fit, reduplicat accessio.

3 Melancholicus humor, fæculentus est, maximéq; terrestris: ideóque in intimo corporis recessu conditus, si fortè, velut in febre, concitatur, solidiores partes, vt artus & ossa, primùm obsidet. Quúmque sit frigidus & pondere grauis, frigoris & lassitudinis

tudinis sensum ibidem inducit, quem ὀστοκόπον, i. ossium ex lassitudine dolorem appellāt, nō eum quidem, vt in tertianæ rigore pungentem, sed verè contundentem, quo dentes strident, vniuersúmque corpus tremore concutitur.

4 Animali facultate membrum attollente, sed id quidem diu nequeunte propter humoris, musculum aut neruum imbuentis grauitatem.

5 Obstructis meatibus. Quod fieri cōsueuit initio morbi. Pòst enim vrinæ crassescunt, reseratis caloris febrilis vi ductibus, per quos ea transcolari assolet.

6 Accessionis initio pulsus rarus ac tardus est, nondum calfacta materia. Talis verò pulsus diuturnus esse solet, cùm ægrè calor accendatur, accesúsque vix sit per vniuersum corp⁹ æquabilis, sed cum quadam permixtione frigoris, & permanēte quodam artuum ac ossium dolore.

7 Vt febris propiùs accedit ad statum, ita maior ac frequētior est pulsus, agente in materiam magis magísque calore.

8 Quia frigidus ac siccus humor est, & in imo corpore veluti sepultus.

9 Nimirum in horas viginti quatuor.

EPHEMERÆ SIGNA.

CAPVT XXXIII.

EXTERNA tantùm fit febris Ephemera causa.
Quam non[1] sæua premunt symptomata: namque calore
Principium à [2]blando ducens, in rore madenti
Desinit, [3]æqualis pulsus, lotiúmque colorem
[4]Natiuum, reliquásque notas proferre videtur
Sanorum similes, [5]speciem nisi denique mutet.

1 Euidentes (externas, & procatarcticas synonymos appellāt) causæ, solæ non lædunt, nisi causa quædam interna delitescat in corpore, quæ impetum illatum excipiat, vt ait Galenus. At à solis euidentibus, idem inquit, causis, vt æstu, frigore, lassitudine, motúque vehementi, vigiliis, inedia, curis, mœrore, metu, febris Ephemera, seu diaria contrahitur. Ergo mirum non est, si leuia sunt Ephemeræ symptomata. Adde quòd Ephe-

libro de optima sect. Et de causs. procatar.

mera cōſidet in ſolo ſpiritu, qui vt tenuis & vagus eſt, ita leuem citóque diſſipabilem febrem adducit.

2 Caloris ſuauitas, proprium, & inſeparabile ſignum eſt Ephemeræ febris, vt mordacitas, & acrimonia, putridæ. Ideo verò blãdus eſt calor in Ephemera, quòd ſoli ſpiritus (qui calidi, humidíque ſunt) efferueſcant.

3 Quamuis in Ephemera ſit æqualis pulſus, eſt tamen celer ac validus: eáque nota à ſanorum pulſu diſtinguitur. Sed æqualis eſt, quoniam humores in arteriis contenti non impelluntur, nec vlli vapores putridi, vel acres, vel maligni cor impetunt, vt in cæteris fit febribus.

4 Vrinæ concoctionem primo ſtatim die videri, proprium eſt, & inſeparabile febris huius indicium. Nam in ea non languet natiuus calor, nec humores noxii naturam ab inſtituto reuocant, vt in cæteris febribus contingit: ſed ſoli ſpiritus, (influentes, non inſiti) per arterias in omne corpus illabuntur placidè, nullo conſiſtentes loco.

5 Vera diaria viginti quatuor horarum ſpatio clauditur. Quæ ſi vertitur in ſynochum ſimplicem, quam ephemeram plurium dierum nuncupari iam antè diximus, aut putridam, aut hecticã, in plures dies profertur acceſſio. Et tunc alia ſigna comparent in vrinis, pulſúque, quàm in abſoluta diaria. nec tum diaria febris, ſed humoralis, aut hectica nominanda.

[1]HECTICÆ SIGNA.

CAPVT XXXIIII.

Ex ſicco veniens calidóque diaria febris,
Illius [2]caput eſt, quæ dicitur hectica: quæ ſi
Partibus incumbit [3]ſolidis, [4]durúſq;, [5]frequénſq; eſt,
[6]Debilis ac [7]paruus pulſus, caua tēpora, [8]plumbum
Fœda refert facies, [9]nullus dolor afficit ægrum.
Tangenti primò blandus color eſſe [10]putatur,
Mox tamen eſt mordax, lotióque innare videtur
[11]Pingue oleum, coriíque inſtar cutis [12]aret, inanis
[13]Deprimitur venter, corpúſque fit oſſea moles.

1 Febris

1 Febris ea de qua nunc agimus, hectica propriè nuncupatur, quòd ægerrimè solui queat, & in habitu sit corporis: quamuis omnis febris contumax, à quocunque nata sit humore, communiter ἑκτικὴ vocitetur, vt σχετικὴ solutu facilis. ἕξις enim, vnde nomē hecticæ, qualitas est à subiecto ægrè mobilis, vt σχέσις facilè.

2 Intemperiem calidam siccam ab externa causa profectam, *libro 9.*
hecticæ principiū esse sic statuit Galenus: Quoties, inquiens, ali- *meth.*
cui vel ex lassitudine, vel ira, vel pluribus curis, vel vigiliis, vel tristitia, vel inedia longa, vel vniuersis vnà coeuntibus siccatum corp⁹ est, ac febris inuasit, quæ & aridā reddit cutem, & igneum calorem refert, eum vtiq; timor est hectica febre correptum iri, potissimùm æstate, cælique statu calido siccóque. Quamobrem is author ptisanæ cremorem, aut sorbitionem ex alica, deindéque panem ilico dari præcipit: itémque frigidæ potionem, nisi putris humor, aut ingens phlegmone dehortetur. Præcipit & balneum, ne siccitas & calor in visceribus hærens, hecticam reddat insanabilem.

3 Solidæ partes, in quibus hæret hectica, triplici substantia constant, humida, carnosa, fibrosa. Si humidam (quæ proprium est partium alimentum) febrilis populatur calor, primus est hecticæ gradus: Si carnosam, secundus: Sin fibrosam & membranosam, (quæ propriè similaris & solida nuncupatur) absumit, tertius. Quæ postrema species, hectica marasmodes, seu tabes, & marcor appellatur, prorsus incurabilis. In hac enim, quam hoc capite præcipuè notamus, exhausto humido primigenio (cui in solidis partibus est peculiare domicilium) remanet extrema siccitas, & virium imbecillitas, vnde mortis necessitas ineuitabilis.

4 Ob arteriæ, vt & totius corporis, siccitatem.

5 Vt refrigeretur cor crebro aeris in arteriam appulsu.

6 Ab infirmitate vitalis facultatis.

7 Pulsus in hectica paruus est, quia cor (cuius illa primùm, deindéque reliquarum partium similarium substantiam obsidet) caloris natiui penuria marcescit, deserúntque spiritus cum sanguine, quibus existentibus in omnem dimensionem dilatetur arteria. Peculiare tamen hecticæ signum est, hora vna vel duab⁹ à cibo crebrescere pulsum, ac celeriorem euadere. Quod non pendet à proprio naturalíque, sed hectico calore partium solidarum, quæ cibo, velut calx aqua, prolutæ atque madentes, calorem acriorem in omne corpus effundunt.

8 i. plumbi colorem, necroseos imminentis signum.

9 Est enim æqualis intemperies.

10 Quia febrilis hecticæ calor internus est, potissimùm in vi-

ſceribus hærens, primò non ſentitur. At ſi diutius admouetur manus, paulatim acredo quædam, & velut eroſio percipitur. Quod ideo fieri putem, quia calor acer ad tangentis medici manum, quæ temperatior eſt, tanquam ad humidum accurrit.

11 Colliquatione partium ſolidarum.

12 Quod eſt ſummæ ſiccitatis indicium certiſſimum. Cutis quippe referre ſolet totius corporis temperamentum.

13 Conſumpta parte carnoſa muſculorum abdominis, ſubiectarúmque partium adipe liquato.

SIGNA FEBRIS PESTILENTIS.

CAPVT XXXV.

A[1]VSTRINVS, ventíſq; ſilens, & nubifer annus
Omẽ habet, Stygiæq; iacit fundamina[2] peſtis:
Quæ quãdo tremulum percellit & obſidet ægrum,
[3]Languidus apparet pulſus, crebérque, celérque,
Paruus, [4]inæqualis, [5]capitis dolor, & graue pondus,
Mœror, & aſpectus [6]varius toruúſque, frequénſque
[7]Defectus, [8]vomitúſque, [9]ſitis, [10]dyſpnœa, phrenitis,
[11]Egelidúmque foris frigus, calor intus adurens,
[12]Lethæúſque ſopor febri coniunctus edaci.
Ne [13]lotio fidas: ſed quum[14] tumor inguina pungit,
Auribus, axilliſve ſubeſt, anthraxve perurit,
Effuge, ſi metuis. Sin vir cupis arte mederi,
Quære Deum primò, calida qui iuſtus in ira
Nos [15]ſolet humanos ſontes hoc perdere telo.

1 Auſter, ventus eſt calidus humidus, qui ſi largos & longos imbres effudit, humiditatem inducit corporibus, eo maiorem, quo ſine ventis fuerit. Nec enim tum corpora difflantur, nec digeri poteſt humor ſuperuacaneus, vnde neceſſaria putredo. Quæ quum ſit vulgaris, ex infecto aere (quem omnes hauriunt vel inuiti) genita, febrem infert Epidemiam. Ergo cùm annus Auſtrinus, pluuius, à ventis in totum ſilens fuerit, peſtilens febris expectanda.

2 Peſtis, febris eſt Epidemia, contagione deleteria. Eam quidem

dem simplicem & puram, nullius intemperiei, vel putredinis esse sobolem, sed cæcam, malignam, & inexplicabilem aeris perniciē, quæ à superioribus aere causis mânet ac deducatur, lōga verborum rerúmque serie demōstrat Fernelius. Qui ne videatur ab Hippocratis & Galeni (qui omnium pestilentium febriū causam esse putredinem statuūt) opinione omnino discedere, tria communium morborum, quæ pendent ab aere, genera constituit: Endemium, Epidemium, & Pestilens. Primum à terrenis, & inferioribus expirationibus putridis oriri vult: Secundum à vehementi temporum tempestatúmque mutatione, quæ febres & putredinem pariter inuehit, proficisci: Tertiam ab occulta malignáque qualitate cælitus immissa deriuari. Cuius sententiam vt veram amplectimur. Nec tamen hîc sola pestilentis febris ab eo constituta pathognomonica, sed & Epidemiæ communia signa persequimur, quum illa sine putridæ permistione vix vnquam appareat. *libro 2. de abdit. rer. caus. c. 12.*

3 Pulsus est in hac febre languidus, quia natiuus calor est minimus, præter naturam plurimus, à quo vitalis atteritur facultas. Etenim aura pestilens, vt omne veneni genus, genuina sua proprietate, cor, vitæ fontem ac domicilium primò petere solet, ac dein reliqua viscera, totúmque corpus inuadere.

4 Vapore maligno natiuum cordis calorem agitante.

5 Eodem consumente spiritus animales.

6 Ex agitatione, siccitatéque spirituum animaliū, ob febris Epidemiæ calorē: vnde phrenitis ac mania nonnullos adoritur.

7 Aura pestilens inspiratione attrahitur in pulmones, ab eísque quamprimùm sine sensu in cor penetrans, idémque, si minùs resistere valet, inquinans, vires omnes, præcipuéque vitales infringit. Vnde syncope, pathognomonicum, si quod est, pestilentis febris signum habendum est, vt pulsus paruus, frequens & inæqualis.

8 Qui fit, cùm humores putridi, maligni, in ventriculi fundo turgent, vt cùm sola infensa est qualitas, nausea contingit.

9 Quum pestilentis febris calor insigniter putridus, ideóque valde mordax acérq; sit, si Galeno credimus: in ea sitim esse necessarium videtur. Sitis tamen interdum exigua, vel nulla viget, aut quia caput humore multo rigatum, mentem & sensus hebetat, aut naturalis ventriculi facultas extincta est, si delirium abest: quo posito, mentem ægrotare coniiciendum. *comment. 1. in lib. 6. epid.*

10 Obsesso thorace.

11 Quod est signum incendii viscerum.

12 Talis enim sopor concidente robore spiritus animalis accidit, nisi multus in cerebro dominetur humor, ab Austrina cō-

stitutione genitus.

13 Est enim aliquando sanorum simile. Sæpius verò turbatum, vt notat Hippocrates, & nos in multis obseruauimus in eo pestilenti statu, qui Lutetianos in primis torsit, anno salutis millesimo quingentesimo octogesimo. *lib.3 epidem. sect. 3. part. 15.*

14 Quum in inguine tumor apparet, hepatis: quum in axillis, cordis: quum sub aure, cerebri robur indicatur, si febris nōdum apparet, vel mediocris est, viriúmque robur, & symptomatum lenitas existit. Sin signa, quæ commemorantur hoc capite, se proferunt cum bubone vel carbunculo, malum. Hinc enim colligitur materiæ malignæ quantitas. Nec verò signis vel optimis fidendum in hac febre, quia cuncta sunt infida, moritúrque repentè, qui vitam in multos annos polliceri videbatur.

15 Hoc in *Dauide notatur, cuius ob numeratum populum crimine pestilens morbus triduo ita sæuiit, vt septuaginta virorum millia perierint. Eandem luem *Ieremias & *Ezechiel prophetæ Iudæis minantur, errata sua non agnoscentibus.

**libro 2. reg. c. 24. & 1. Paralip. c. 21.*

**cap. 44.*

**cap. 5.*

LIBRI SECVNDI FINIS.



DE SIGNIS MORBORVM liber tertius.

[1]OESOPHAGI STOMACHIQVE MALE AFFECTI SIGNA. Caput primum.

B[2]VLIMVS, atque fames, quæ dicitur esse[3] canina,
[4]Pica, dolor [5]spinæ, potus via[6] stricta, cibíque,
[7]Lautarúmque dapum fastidia longa, [8]sitísque,
Contingunt patiente gula mortalibus ægris.

1 OEsophagus viæ cibi nomen, ait Galenus, est proprium: stomachus, commune. Quare qui stomachum ait, œsophagum etiam, ex eius sententia comprehendere videtur: vnde cõplures ea nomina confundunt. Propriè tamen œsophagus ille meatus est, qui à faucibus ad os vsq; ventriculi laryngi subteditur. Stomachus autem, vẽtriculi solum superius orificium, quod xiphoidi cartilagini subiacet, à natura cõparatæ, vt ipsi[9] sit propugnaculũ. *lib. 4. de vsu part.*

2 Bulimus fit, quum os ventriculi refrigeratur ab externa causa. Vehemens autem frigus cuiuis neruosæ parti, quamobrem & gulæ, molestiam infert. Hæc igitur vt tollatur, stomachus calidi siccíque desiderio, nempè fame tenetur. Hinc in cibos auidissimè ruit. Quorum copiam cùm nequeat conficere ventriculus, frigidus fit, natiuúmque calorem amittit: vnde postea deiicitur appetentia, pulsus languet, & animi deliquium accidit, prostratis denique viribus. Itaque Bulimus, vt nomen sonat, initio quidem famem ingentẽ habet, pòst autem inappetẽtiam.

3 Appetentia canina fit interdum ab externa refrigeratione,

quæ ſenſum inanitionis inducit, vt bulimus. Interdum ab acido quodam humore, ventriculi os imbuente. Sed in appetitu canino frequens eſt vomitus: in Bulimo, nequaquam.

4 Appetentiæ deprauatæ ſymptoma Pica eſt, qua ſtomachus alienos cibos, vt terram, carbones, incoctas carnes, & peiora his expetit, mulieribus grauidis, quàm viris magis peculiare vitium. Quod accidit, ventriculi tunicis excrementitio quodam humore delibutis, & infarctis.

5 In quam reclinat, & adhæreſcit œſophagus.

6 OEſophag⁹ interdum, ſed rariùs, ab intemperie ſimplici, vel à ſcirrho, phlegmone ve tẽtatur, vix vnquam à cæteris affectibus. Scirrhum indicat maxima deglutiendi difficultas, at ſine dolore: Phlegmonem dolor lancinans, calor, febris, ſitis cum difficultate vorandi: Simplicem intemperiem cibi potúſque tardior tranſitus, citra anguſtiæ doloriſve ſenſum.

7 Periphraſis eſt anorexiæ: quæ fit alimenti copia referto corpore, nec huius quicquam ſugentibus è ventriculo venis.

8 Sitis, eſt frigidi humidíque potus appetentia. Quæ duplex eſt, naturalis & animalis. Illa principiũ ducit à iecore: hæc ab orificio ventriculi per neruos ſextæ cõiugationis illic inſitos, per quos cibi, potúſque penuria preſſum animal, inuitatur ad expetendum id quod ſibi iucundum eſt.

INTEMPERIEI VENTRICVLI SIGNA. CAPVT II.

L[1]ONGA ſitis, [2]gelidi facilis concoctio potus,
Gratáque quæ frigent admotáque, ſumptáque, [3]nidor
A calidis, ſenſus rodens, vt & oris amaror,
Nauſea, ſingultúſque, notant ardore teneri
Ventriculum. Sin frigus habet, [4]contraria dictis
Signa vigent. Sic, ſi madidus ſupereminet humor,
[5]Potus obeſt, calidíque cibi, ſiccíque petuntur,
Quos ſtomachus refugit, vẽter cùm pendulus aret.

1 Quum ventriculus intemperie calida premitur, ſitis diuturna torquet, ſi talis intemperies eſt impreſſa parti ſolidæ, nempe tunicis. Sin vitium eſt in humoribus, quos ille ſuo ſinu continet, his ſublatis ceſſat & ſitis.

2 Calida torrentur & aſſantur à calido ventriculo. Quare tunc non hæc, ſed frigida conferunt, nempe quæ temperent illius ardorem.

3 Bileſcentibus in ventriculo ſuccis. Aſſati etenim ob intemperiem ventriculi calidam humores, in bilem abeunt.

4 Qualia ſunt cibi potúſque calidi deſiderium, horror, perfrigeratio, tarda cõcoctio, ructus acidus, ventriculi grauitas, & lãguor.

5 Quum potus humectet, humido ventriculo moleſtus eſt, ſiquidem eum obtundit atque diſſoluit. Quum verò multus humor aquoſus huic innatat, aut eius tunicis impactus eſt, expuitio fit frequens ſine tuſſi, ſaliua multa per interioris tunicæ continuationem in os exurgente.

CHOLERÆ MORBI SIGNA.

CAPVT III.

INTESTINA ferox, ſtomachúmque immaniter vrget
Bilis, & erumpens vomitu, motúque per aluum,
In [1] cholera, ſubitum dat ſigna minantia lethum.
Namque intrò refugit pulſus, crebróque cietur,
Atque [2] acris ſitis eſt, extremáque [3] frigore torpent.
Quíque venit ſudor [4] malus eſt, fit [5] luridus vnguis,
Conuellíque [6] manus, carnoſaque ſura videtur,
7 Mens labat, & [8] diri ſequitur mors plena doloris.

1 Cholera morbus, acutiſſimus affectus eſt, ita nuncupatus, quòd in eo bilis (quam choleram vulgus medicorum appellat) ſurſum ac deorſum impellatur. Non tamen ἀπὸ τῆς χολῆς, ſed ἀπὸ τῶν χολάδων plerique deriuant. At vtrumque verum eſt, quum ſit cholera vẽtriculi inteſtinorúmque commune vitium. Nec verò ſola bilis per hunc affectum educitur. Nam, inquit Aretæus, quæ primùm euomuntur, aquæ ſimilia: quæ anus effundit, ſtercorea ſunt, & liquida, tetríque odoris, ſiquidem longa cruditas id

libro 2. de ſignis & cauſ. acut. morb. c. 5.

malum excitauit. Si magis sæuiat morbus, tum syncerè flaua bilis, deinde nigricãs excitatur: deiectiones quoque similes sunt.

2 Ob bilem, pungentem os ventriculi superius, ibíque sensum caloris excitantem.

3 Nam calor intrò cogitur.

4 Nempe paucus, & diaphoreticus. Aut ἐφίδρωσις est, aut ἴδισις, siue mador, non verus sudor, præsertim apparentibus signis lethalibus.

5 Ob extremarum partium frigus, quo natiuus earum calor obruitur, & quasi suffocatur.

6 Neruosi generis sympathia. Nam in hoc affectu ventriculus & intestina, vicinæque his membranæ cum neruis mirè torquẽtur à copia flatuum, violento motu bilis, & eiusdem acrimonia atque calore, quibus vt hæ, sic extremæ partes resiccãtur, distenduntur atque conuelluntur, in primis quidem manus, pedes, & suræ, quia musculos habent plures.

7 Affecto corde per consensum oris ventriculi.

8 Per conuulsionem, strangulatum, & inanem vomitum.

OBSTRVCTI IECORIS NOTÆ.

CAPVT IIII.

QVVM iecur [1] obstruitur, [2] grauis est, & [3] tensa dolorem
Exhibet [4] obtusum lateris pars infima dextri.

1 In iecur, facultatis naturalis sedem, & præcipuam gignendi sanguinis officinam, humor aliquando pituitosus è cerebro per ventriculum & venas illabitur. Interdum etiam crassum, viscidum, & multum illuc trãsmittitur alimentum. Nõnunquam & biliosus humor in eo genitus ibidem crassescit, & contumaciter adhæret. Quæ quũ per tenuissimas venas necessariò traducantur, nullũ æquè viscus, vt hepar, obstructione tẽtari cõsueuit.

2 Obstructio iecoris à commemoratis modò causis efficitur, quæ nullius tumoris febrísve particeps, si ea simplex est.

3 In hepatis obstructione tensio fit ad hypochondrium dextrum, potissimùm si mox à cibo subitur exercitatio. Tum enim vt materiæ cõstituentis obstructionem, sic & ingesti cibi portio quædam abit in flatus.

4 Obstructo citra phlogosin aut inflammationem iecore, dolor aut nullus, aut obtusus est. Etenim crassus ac lentus humor

obstru-

obstructionem facit, & affecta pars non est exquisito sensu prædita. Nam in hepar minimus inseritur neruus, non tam ad sensum, ait Galenus, quàm ad infestæ rei dignotionem à natura tributus. *libro 5. de vsu part.*

[1]INFLAMMATI IECORIS INDICIA. CAPVT V.

SIN tumor igneus est, dextrum graue fit latus [2]imum,
Eque [3]nothis costis [4]iugulum dolor appetit ardens:
[5]Sicca tenet tussis, [6]dyspnœáque, febris [7]acuta,
Nausea, contemptúsque cibi, sitis ignea, linguæ
Scabrities, & huic [8]saniosus lentor inhærens.
Erumpit vomitu bilis [9]syncera, vel [10]aluo
Deiicitur, lotiúmque rubens vesica profundit.

1 Cùm sanguis tenuis, aut feruidus, aut acer, aut præ copia nimium exuperans è suis vasis in carnosam hepatis substantiam effertur, ibíque putrescens, eius parenchyma labefactat, iecur inflammationem concipit. Cuius phlegmone periculosa, ob ipsius visceris nobilitatem, febris magnitudinem, & consensum, quem ille cum cæteris principibus partibus nanciscitur

2 In hepatis phlegmone dextrum hypochondrium est graue. Nam hepar ibi consistens sanguinis multi copia turget, suáque mole deprimitur.

3 E regione diaphragmatis, cui iecur annectitur.

4 Dolor hîc à nothis costis ad iugulum vsq; protenditur, per continuationem succingentis membranæ, quæ tum cõuellitur seu retrahitur. Quod in primis obseruatur, quum tactu premitur hepatis regio.

5 Nec enim in thorace materia continetur, vt excludi possit per tussim, sed sub diaphragmate reconditur. Ideóque non propriè tussis appellari potest, sed ad tussim proritatio quædam, ab humoris serosi resudatione in diaphragma, hepati incumbens & contiguum.

6 Quum inflammatio gibbam hepatis regionem magis obsidet, spirandi difficultas, tussis, dolórque iugulum retrahens est grauior, & decubitus in dextrum latus molestior. Sin simam

seu cauam, cibi fastidium, nausea, sitis, vomitio, vel per aluum deiectio biliosa magis vrget, nec æquè grauis est in latus ægrum decubitus.

7 Febris hæc, vt acuta est, ita symptomatica. Nec enim in venis maioribus eius materia proxima, continénsque causa reconditur, sed in parenchymate iecoris, ex quo vapor teter ac putridus assiduè cor impetit, dum febris omnino desinat. Est enim affecta pars cordi vicina, quæ & insignem veluti tubum habet, nempe venam cauam, per quam affectus suos eidem communicet.

8 Qui flauescit primò, deinde nigricat.

9 Syncera bilis excernitur in hoc affectu, calidioribus per inflammationem redditis humoribus. Excernitur & æruginosa, vitellináque, flaua bile per summum calorem assata.

10 A qua vel diarrhœa, vel dysenteria nõnunquam infligitur.

11 Vt rubrum, ita crassum ac turbidum lotium in hoc affectu profunditur. Rubrum quidem, à sanguinis dominio: crassum ac turbidum, ab humorum iecoris partes cauas implentium abundantia.

SCIRRHI IECORIS NOTÆ.

CAPVT VI.

HINC[1] scirrhus sequitur, durus tumor[2] absque dolore,
Quem[3] circumscribit iecoris situs atque figura.
Exanguis facilè in dextra tum parte reclinat
Æger, at in[4] læua regione quiescere nescit.

libro 2. ad Glauc. capit. 1.

1 Inflammationem statuit Galenus duplicem: humidam & siccam. Humida, ex calida fluxione membrum occupante fit: Sicca ex naturali calore membri efferuescente. Prior, quæ vera est phlegmone, raro scirrhi iecoris est causa. Sed quum hepar inflammationem concipit, quia viscus est natura calidum & humidum, in periculosum abscessum ferè desinit: quamuis idonea vacuatione, sumptis & admotis refrigerantibus & roborãtibus nõnullos obseruauerimus pristinæ restitutos sanitati. Posterior (quæ potius est erysipelas phlegmonodes, aut hepatis sola phlogosis) interdum iecoris scirrhum facit in ictericis, & natura biliosis. Aliàs, ex obstructione contumaci fit in iecore scirrhus, humore crasso terrenóque, per eius effuso substantiam, illicque coale-

coalescente.

2 Nisi quando pars affecta duriùs premitur.

3 Si gibbã, simámque simul, vel gibbam solùm iecoris partem scirrhus occupat, tumor est in hypochondrio dextro circumscriptus, qui tactu facilè dignoscitur. Sin simam tantùm, nulla substantiæ iecoris, proinde nec scirrhi figura notari potest. Quin & tumor plerumque decipit, quum profundus sit & à gibboso iecoris corpore, quod primum occurrit, tangi prohibeatur.

4 In scirrho iecoris, decubitus sinistri lateris molestus est, tum quia tenduntur ligamenta, quibus id alligatur, tum quòd in vẽtriculum incumbit moles, quæ suffocationis metum incutit. Contrà fit in scirrho lienis.

IECORIS [1]IMBECILLI NOTÆ.

CAPVT VII.

NOVERIS [2]hepaticos, niueus si [3]cremor ab aluo
Labitur, aut [4]liquidus, vel [5]crudus quilibet humor,
[6]Rubra velut sanies, aut [7]fæx velut atra cruoris.

1 Facultatibus, à quibus regitur hepar, à suo munere deficientibus.

2 Hepatici propriè dicuntur, vt monent Galenus & Aetius, quibus citra manifestum aliquod in viscere malum, in actionib⁹ propriis languescit hepar. Vnde colligendum, affectionis hepaticæ causam esse solam iecoris intemperiem, per quam facultates quidem omnes, sed alteratrix omnium prima ad tantam imbecillitatem peruenit, vt quæ priùs ex proba tẽperie laudabilem creabat sanguinem, ab ea deficiens, crudum & semicoctum reponat. *libro 8. de composit. medic. secundum loc. tetrab. 3. sermon. 2. capit. 1.*

3 Confectus chylus, expultrice ventriculi facultate in mesaraicas venas impellitur, attrahendus à iecore: cuius quum facultas attractrix languet, chylosa, quæ cremoris speciem habent, per sedem elabuntur.

4 Quum hepar est validum, exugit à ventriculo venísq; proximis humorem, quem incrassat coctione. Quum imbecillum, eum vt antè trahere non potest, ideóque liquida per aluum excernuntur.

5 Alteratrice, & sanguifica vi languida. Cuius certum argu-

mentum est, si pedes primùm, deindéque cæteræ partes intumescunt, vt in iis animaduertitur, qui è graui morbo resurgunt, nec non hydropicis, scirrhosis, ictericis.

6 Rubra veluti sanies, loturæ carnis recens mactatæ similis, alteratricem iecoris facultatem moliri aliquid indicat, sed imperfectè, nempe quæ sanguinem nō gignat colore & cōsistentia laudabilem: Retētricem verò plurimùm imbecillam, vt quæ semicoctum sanguinem sinat effluere.

7 Quæ nigrum sanguinem refert. Diligenter tamen consideranti nec sanguis niger est, nec grumus, sed veluti limus quidam sāguinis crassi, qui propè ad atrā bilem accedit, vt ait loco nuper citato Galenus. Arguit autem ista deiectio frigidam hepatis intemperiem, vt calidam colliquationes primùm humorum, dein carnis hepatis, deiectióque bilis crassa, graueolens, & valde colorata.

TENSIONIS LIENIS SIGNA.
CAPVT VIII.

D[1]ISTENDENS tumor est in molli sæpe
[2]liene,
Quem [3]dyspnœa notat, [4]leuis & defectio cordis,
Et pallens facies, concoctio [5]praua, sopórque
Confusus spectris, [6]pauor, & præcordia læua
[7]Flatibus aeriis cum murmure tensa sonoro,
[8]Contēptúsq; fugax rerum, [9]graue corpus, inérsq;.

1 Lienis corpus, instar spongiæ laxum & rarum est: & humores, quos in se continet, flatulenti sunt. Hinc fit, vt interdum sine scirrho distendatur. Scirrhum indicat tumor durus ac renitens: tensionem contrà, tumor laxus, & tactui cedens. Tensionis verò materia sæpe solo liene concluditur, túmque splenis situm figurámque retinet. Interdum vniuersum hypochondrium implet. Nonnunquam etiam in omentum effunditur, túmque sub vmbilico tumor est.

2 Humoris melancholici (qui terrenus est, ac veluti fæx, limusque sanguinis) sede.

3 Presso diaphragmate per lienis amplificationem, & tum maximè, cùm ventriculus cibo turget, aut in dextrum latus decumbitur,

bitur, aut curritur.

4 Fuliginosis vaporibus in os vẽtriculi superius aut cor elatis.

5 Tumor enim attollit ventriculum: ideóq; cibi vel illius fundum ingredi nequeunt, vel in eo diutius immorari.

6 Quia caput grauatur crassorum vaporũ ascensu, qui quum fuliginosi sint, terrorem incutiunt dormienti.

7 Suscitatis cùm ab humore melancholico, crudove, tum ab imperfecta chylosi.

8 Fuliginoso vapore, menti tenebras offundente.

9 Humoris terrestris fæculentíque dominio.

[1]HYPOCHONDRIACÆ MELANCHOLIÆ SIGNA. CAP. IX.

A[2]TER & interdum præcordia detinet humor,
Inuoluens picea trepidam caligine mentem.
Qui quando ferus est, & anhelo turget ab æstu,
Mollia ventoso reboant hypochõdria flatu,
Cor [3]tremit, & [4]validè pulsans citò linquitur, atque
Puniceus faciem tingit color, iráque feruens
Præcipitat, fumúsque vagos obscurat ocellos.

1 Hypochõdrium, eam corporis humani regionem significat, quæ à nothis costis ad ilia vtrinque porrigitur, eamque, quæ xiphoidi cartilagini subiacet. Quibus sedibus quoniam includitur materia, multiplex quidem, sed hîc nigra præsertim, & adusta flatulentáque, quæ hinc prodit affectio, hypochõdriaca melancholia, seu flatulentus morbus appellatur.

2 Atra bilis, hypochõdriacæ melancholiæ causa continens est: quæ quum incalescit & putret, perniciosam substantiæ conditionem induit, quæ maligno vapore non è liene tantùm, sed & è mesenterio, vicinísque sedibus in cor & cerebrum exhalat, eáque symptomata, quæ commemorantur hoc capite, cõcitat.

3 Obsessum humoris maligni vapore.

4 In hypochondriaca melancholia, corde, fluctuantis humoris æstu lacessito, pulsant insigniter arteriæ, sed hæ potissimùm quæ præcordiis insunt, quia bilis incãdescentis focus ibi consistit, ex quo vapor excitatus promptissimè in eas euolat.

INFLAMMATI MESENTERI SIGNA. CAP. X.

M[1]VLTIPLICES latitant mesaræi in corpore morbi.
Qui quum sint [2]leuibus soliti se prodere signis,
Inculti iacuere diu. Quin sæpe fefellit
Clausus in hoc [3]tumor accensus. Nec enim [4]dolor vrget,
Nec febris, nec magna sitis, sed pondus in imo
Ventre grauat, saniésque rubens, púsq; exit ab aluo.

1 Natura superuacuorum humorum sarcina fessa, portionem eorũ in mesenterium, & pancreas, velut in sentinam plerumque deponit. vbi quum hi diu citra molestiam substitere, tandem aliquando vel acrimonia, vel copia graues, diarrhœam, dysenteriam, melancholiam, choleram morbum, atrophiam, cachexiam, erraticas febres, aliósque latentes morbos inducunt.

2 Mesenterium non omnino doloris est expers, quum præter venas & arterias quamplures neruum vnum accipiat. Sed sine manifesto dolore est, solúmque grauitatis sensum habet, inquit Fernelius: licet grauitatis & tensionis sensum ei tribuat Auicennas.

lib. 6. pathol. c. 7.
lib. 3. fen. 14. c. 11.

3 i. phlegmone.

4 Quia mesenterium exiguum dolorem sustinet, & à stomacho, cordéque procul abest, in eius phlegmone nec dolor, nec sitis, nec febris, nisi lenta, premit, quum in cæterarum partium inflammationibus plurimùm hæc symptomata grauent.

ICTERI NOTÆ. CAPVT XI.

A[1]DNATÆ [2]croceusve color, viridisve, fluésq;
Per lotium bilis sumptorũ [3]instárq; ciborum
Alui proluuies arquati signa putentur.

1 In

1 In ictero, seu morbo regio cutis quidem vniuersa bile tingitur, sed adnata oculi tunica vitium apertius detegit, quia naturâ cute candidior est.

2 Icterus duplex hîc notatur, flauus, à pallida, flauâve: niger ab atra bile. posterior cutem inficit colore subuiridi, quia fit à nigra bile viridi permixta, secundum Aretæum; prior flauo, vel citrino. *libro 1. de signis & caus. diuturn. morborum capit. 15.*

3 Ex causarum icteri varietate varia per aluũ icterici reiiciunt. Vt, si cystis, seu vesica fellis obstruitur, fæces albæ sunt, atque cretaceæ, tardéque descendũt. Nec enim tum subit aluum bilis, sed in iecur & venas, vniuersúmque corporis habitum facessit: quam denique natura propellit in renes vnà cum vrina, eámque suo colore tingens, crassam, impurámque reddit. Si calida siccáque totius corporis, ac præsertim hepatis intemperies, aut animalis virulenti morsus, aut potio deleteria, aut facultatis secretricis imbecillitas icteri causa est, & obstructio nulla, vt per vrinas, ita per aluum secedit bilis. A liene si fit icterus, excremẽta porracea nigráque redduntur, & quum arida sint, tardiùs descendunt, quemadmodum & ea quæ candicant à folliculi fellis obstructione. Sin à ventriculo (nam hic, vt & colum intestinum, icterum parit, vt vult Aretæus) arquati causa petitur, talia ferè per aluum exeunt, qualia sumpta sunt, læsa coctrice facultate.

ATROPHIÆ, CACHEXIÆQVE SIGNA. CAP. XII.

A[1]TROPHIA corpus sensim [2]languescit, & aret,
[3]Assurgit contrà, si fortè [4]cachexia vexat,
In molem, vnde[5]graues sunt, at sine viribus artus.
Fit [6]pallens liuensve color, spiratio [7]rara,
[8]Neglectúsq; cibi est, abeúntque impura per aluum.

1 Atrophia, nutritionis defectus est, quo corpus sensim marcescit & absumitur. Symptoma est facultatis naturalis, qua malè trahitur, aut retinetur, aut concoquitur alimentum, aut excrementa perperam expelluntur, ex quorum (biliosorum imprimis) colluuie scatente corpore, naturalis spiritus, calórque ita proteritur, vt probum sanguinem nequeat conficere, quo corpus vniuersum (si communis atrophia est, ab aliquo primùm

induᴄta viſcere) vel eius pars aliqua (ſi partis ſolius eſt atrophia) nutriatur.

2 Vt in atrophia, ſic & cachexia vires effœtæ languent. Sed in atrophia, quòd nulla: In cachexia, quòd vitioſa ſit nutritio.

3 Eſt in cachexia ſatis ampla corporis moles, crudis ſuccis in venas habitúmque corporis illabentibus.

4 Cachexia, malus corporis habitus eſt. Quod vitium ex praua ratione victus, & viſcerum (ventriculi præſertim ac iecoris) imbecillitate vel impuritate contrahi ſolet: vnde malè concoquitur alimentum, crudúmque permeat ſingulas corporis partes, quibus apponitur & agglutinatur quidem, non perfectè tamen aſſimilatur: hı́ncque vitioſa nutritio. Quæ ſolidas partes attingens, totius corporis œconomiam inuertit.

5 Ex copia crudorum humorum: qui quum inferiores partes naturali motu magis affectent, ſtantibus pedes tibiæque ſolent intumeſcere.

6 Eſt enim hic affectus oppoſitus Euexiæ, ex qua chyloſis, hæmatoſis, & omnis naturæ functio prouenit: ideóque bonus color, facilis ſpiratio, validæ vires, & prima omnium ſanitas. In cachexia contraria ſunt omnia, imbecilla nempe coctio atque cruditas, ſanguinis prauitas, color pallidus, aut citrinus, aut liuidus, graue corpus & inualidum.

7 Ab imbecillitate natiui caloris.

8 Initio quidem morbi ciborum auiditas eſt, deinde magna cruditas nequeunte ventriculo quod aſſumpſit coquere præ caloris inopia. Sed in fine faſtidium, multis iiſque crudis humoribus in ventre fluctuantibus.

HYDROPIS SIGNA.

CAPVT XIII.

HYDROPEM [1] [2]fœdus color arguit & tumor [3]ingens,
Et [4]ſitis, & [5]dyſpnœa, cibíque auerſa cupido,
Occupat & [6]varias inflatio turgida ſedes.

1 Hydropis cauſæ multæ ſunt, vt iecoris phlegmone, ſcirrhus, intemperies: lienis aut folliculi fellis ſanguinem non depurantium vitium: renum, ſerum non trahentium obſtructio vel imbecillitas: menſium, aut hæmorrhoidum ſuppreſſio, vel fluor im-

immodicus, vnde vel ſuffocatur, vel exhauritur ſpiritus cum ſanguine. Quibus, & aliis pleriſque cauſis refrigeratur hepar, & hæmatoſis deprauatur. Cauſa verò princeps, malus eſt corporis habitus. Ideóque priuſquam hydrops fiat, cachexiæ ſigna ſolent præcurrere.

2 Pallidus, & ex virore albicans.

3 Ventrem occupans in Aſcite, vel Tympanite. In leucophlegmatia totum corporis habitum implens, vnde nonnullis ea ſpecies hydropis vniuerſale vocatur œdema, quum tamen inflatio veriùs, quàm tumor appelletur.

4 Quæ plurimùm in Aſcite viget. Seroſus enim peritonæo contentus humor putredine ſalſedinem acquirit, ideóque ſitim inuehit, vt & febrim, ſed lentam.

5 Preſſo diaphragmate ex aquarum in abdomine ſtagnantium, ſi ſit Aſcites, aut flatuum copia, ſi Tympanites: aut plenitudine venarúmque diſteſione, ſi Leucophlegmatias. Quæ tres ſunt hydropis ſpecies.

6 Vt, in Aſcite ilia, ſcrotũ, ac pedes inflantur, brachiis ac facie reliquíſque partibus gracilibus. In leucophlegmatia facies, collum, & brachia, mammæque tument, & abdomen ex inflatione craſſeſcit. In Tympanite ſolum tenditur abdomen, quod percuſſum ſonorum eſt.

[1]FAECES ALVI RETENTAS QVÆ SIGNA COMITENTVR.

Caput decimumquartum.

INTESTINORVM ſinuoſis orbibus [2]humor
Affixus, clauſúſque diu, nec lapſus in aluum,
[3]Ventriculo, [4]ſtomachóque nocet, cerebrúmque [5]vapore
Percellit, corpúſque [6]graui torpore fatigat.

1 Fæces retinentur in inteſtinis à tumore præter naturam, in eorum ſubſtantia genito: vel à ventriculi, viſcerumve tumore, vermibus, enterocele, cibis, aut enematis aſtringentibus: vel ab obtuſo ſenſu, vt in apoplexia, paralyſi, veterno, ſopito neruorum principio: vel ſtimuli, nempe bilis ad excernendum excitare ſolitæ penuria, quod fit in ictero: Vel denique vi caloris

exhausto succo; vel à mesenterii venis exucto.

2 Inter humores, pituita maximè ventrem supprimit, non ea tenuis & aquosa, quæ gigni in ventriculo consueuit, & in ventriculũ aliquando procumbere: sed crassa, lentáq;, peculiare ventriculi & intestinorum excrementum: quæ ibi concrescens, vitrea fit & gypsea. Nonnumquam etiam in cæci, colive intestini cellulis diu coercita concrescit in calculos.

3 Concoctionem impediendo.

4 Vaporibus, aut fumis, aut humoribus, neruos, qui illic è sexta coniugatione resident, ferientibus.

5 E retentis alui fæcibus, in cerebrum effertur vapor tenuis, vnde vertigo, cephalalgia: vel crassus, vnde lethargus & apoplexia plerumque contingunt.

6 Denegata quippe excrementorum vacuandorum communi via, peculiares corporis meatus implentur, obstruuntúrque.

ILEI SIGNA.

CAPVT XV.

VOLVVLVS [1] hinc sequitur, stomachus quo turgidus [2] humet,
Et dolor [3] intensus cruciat cum [4] murmure ventrem:
[5] Singultus, vomitúsque, furórque, & ructus [6] inanis
Accedit, dyspnœa, [7] sitis, pallórque, rigórque,
[8] Defectúsque animi, [9] stranguria, [10] sudor & algens,
Denique crudelis conuulsio, [11] nuntia lethi
Sæuit, & horrendum, dependet [12] stercus ab ore.

1 Excrementorum alui retentio, de qua nuper, immediata est & prima, coniuncta nimirum ilei causa. Antecedens verò, ciborum multorum, variorum, inusitatorúmque corruptio, & alia super aliam cruditas. Retinentur autem hæc ob causas superiori capite part. 1. commemoratas.

2 Arctatis enim intestinis ab obstructione, sursum exprimitur humiditas.

3 Nam instar chordæ tensæ constringi & circumuolui intestina videntur ob magnam ex ilei phlegmone tensionem. Quem affectum ideo χορδαψὸν, & εἰλεὸν dici contendũt. Quamuis chordapsi nomen aliter deriuet Aretæus: & εἰλεὸς, seu voluulus proprium

um nomen inuenire poſſit à torminibus, quæ plurima concitat flatus aut humor, dum per inteſtinorum anfractus reuolutus, ſibi viam & exitum quærit.

4 A flatibus, qui per longum inteſtini ſpatium admota manu perſæpe ſentiuntur.

5 Ileus non rarò fit à crudis humoribus, retentis primò, deinde corruptis. Interdum ab inteſtinorum phlegmonoſa diatheſi, nonnunquam ab hauſto veneno. Quæ tres cauſæ ſingultum prouocant.

6 i. malum non alleuans.

7 Ileum definit Aretæus phlegmonen in inteſtinis, quæ perniciosum dolorem, tormina nimirum tanta, & tam acerba plerumque ſuſcitat, vt illis plurimi necentur. Quo poſito ſitiunt ileoſi, ſtomachi vicini ſympathia.

8 Hoc accidit quum putris humor in ſtomachum exhalat, aut ſtercus fœdum ac fœtidum per os euomitur.

9 Compreſſis renibus ex inteſtinorum obſtructione.

10 Reſolutis viribus.

11 Ab ileo vomitus, deſipientia, ſingultus, atque conuulſio, malum, inquit Hippocrates: Quia ventriculus & cerebrum ſympathia laborant. Fieri verò conuulſionem in primis malum & lethale. Sic enim inteſtina, quæ neruoſa ſunt, retroacto naturæ impetu violenter moueri cogũtur, moleſtámq; materiam ad ſuperiora loca reiectare. Quæ quũ ſit putris & graueolens, cibos omnino corrũpit, vt nec chyloſis, nec hæmatoſis eſſe poſſit. Quare, ſi protrahitur morbus, corpus neceſſariò marceſcit, & contabeſcit atrophia. Sed nec eſſe lõga poteſt affectio, quum ad ſymptomatum vehemẽtiam vapor humórque fœtidus ſtomachum grauiter feriens, frequentes leipothymias inuehat, & infecto breui corde ſyncopen. *aphor. 10. libro 7.*

12 Ventriculo non trahẽte, ſed ab inteſtinis excrementa violenter compreſſa recipiente, vt bene cenſet Galenus. Is enim tantùm à ſuperioribus trahit, cùm ob appetentiæ ſenſum in eius ore ſuperiore poſitum, tum ob rectas eò directas fibras, quibus trahendi facultas eſt, vt expellendi tranſuerſis, & obliquis continendi. *libro 3. de ſymptom. cauſis.*

AFFECTI [1]COLI SIGNA.

CAPVT XVI.

NAVSEA cum [2]vomitu eſt colo patiente, dolorque

[3]Distendens, idémque [4]vagus cum [5]tormine diro.
Non bene se [6]renes lotio, nec [7]fæcibus aluus
Expediunt, [8]crepitúsque loco rugitus in imo
Ventre sonat, ructúsque frequens expirat ab ore.

1 Colum, intestinum est inter cæcum rectúmque medium. Quod quia crassiores varii generis fæces, pituitámque sæpe vitream, flatúsque suis cellulis coercitos continet, à quibus illius membranosa substãtia distenditur atque corraditur, tam immanes excitat cruciatus, vt medicamenta dolorem sedantia κωλικὰ φάρμακα veteres appellarint: ab affectu, qui, quia maximos dolores habet, imprimis sedari postulat, communi deducto nomine.

2 Pituitoso, atque corrupto. Frequentior autem & grauior est in colico, quàm nephritico dolore vomitus, quia colum est ventriculo vicinius, sensum habet exquisitiorem, & materiam qualitate peiorem, & copia maiorem in se continet.

3 Distendens quidem, si causa mali flatus est. Sin pituita crassa, præsertímque vitrea mali fomes est, sic corrodens atque dilacerãs est dolor, vt quasi terebello perforari sentiatur intestinũ.

libro 6. de loc. affect. capit. 2.

4 Distinguit Galenus nephriticum dolorem à colico: quòd ille fixus stabilísque sit, hic veluti circuire videatur, hanc illamque partem variè torquens, atque concutiens. Quod sæpenumero fit, nempe quando colon, potissimam flatuum sedem, flatulenta materia diuellit. At quum phlegmone, quam ardor, febris, sitis, vigiliæ denuntiant: aut humor crassus & viscidus colon obsidet, fixus est dolor, altéque crucians.

5 Flatibus, aut humoribus exitum sibi quærentibus, & solido intestini corpore subsistente, contráque nitente.

6 Renes obstruũtur in dolore colico, quia dilatatur intestinum à flatibus aut fæcibus, illósque dilatatum comprimit. Hinc colicus dolor nephriticũ persæpe mentitur. Nam in vtroque nausea vomitúsque fit, meiendíque difficultas. Sed hoc discrimen est, quòd in colico dolore nausea vomitúsque grauiùs affligunt, sæpiúsque repetũt, vt priùs expositum, dolor vagus est & subitus, vrináque colore tingitur. In nephritide tenuis & aquosa primùm est, deinde spissa, cum sedimento sæpe rubro, dolórque fixus, & sensim ingrauescens.

7 Vel obturatis, vel retentis, à flatuum obstruentium copia. Flatus verò tanti sunt interdum, vt iniectum enema non admittant, aut admissum statim reiiciant: & si enematis acrioris vi fæces excluduntur, hæ non deorsum ferantur, sed innatent.

8 Flatus

8 Flatus in inteſtinis cõtenti, debẽt expultricis facultatis vi crepitu per anum excludi, nec tamen facilè poſſunt dolente colo propter obſtructionem. Quare neceſſum eſt, vt vel murmur vel rugitum excitent in ventre, vel ructu per os exeant via non naturali. Nam qui ſæpe pro crepitu ructum edunt, malè concoquunt, flatibus ventriculum attollentibus, & refrigerantibus.

AFFECTIONIS [1]COELIACÆ, [2]LEIENTERIÆQVE SIGNA.

Caput decimumſeptimum.

ASSIDVE` ſine bile fluunt [3]lutulenta per aluũ
[4]Albave, torminibus nullis, nullóq; dolore,
Cœliaco morbo, leienteriave premente.
[5]Aſpera fit ſed in hac deiectio, læuis in illo.

1 Affectionis cœliacæ nomine, non omnis ventris fluor intelligitur, ſed is quo excrementa læuia pariter & aquoſa, ſemicoctáque continenter ab aluo deſcendunt. Cuius cauſam ſtatuit Aetius imbecillitatem ventriculi, qui perfectè coquere, ac digerere nequeat alimentum. Sed Fernelius, medicorum æui noſtri lumen, non cruditatem, non imbecillam ventriculi coctionem, ſed imperfectam, malámque chyli diſtributionem, quam meſenterii, lienis, aut iecoris obſtructio, vel trahentis facultatis imbecillitas, vel alimentorum, maximeque fructuum fugacium, & potus immoderata copia peperit, eius eſſe cauſſam aſſeuerat. *tetrab. 3. ſermon. 1. capit. 37.*

2 Lienteria, eſt æquabilis & continua ſuperficies, ſeu læuitas inteſtinorum. Quæ fit, vel à relicta cicatrice, vel ab humore glutinoſo, qui interiorem inteſtinorum tunicam totam oblinit, reddítque lubricam: quas ob cauſas aſſumpti cibi ſtatim elabuntur. Nam, vt retineantur, ſiccitas, & aſperitas, his contrariæ cauſæ requiruntur. Sed & lienteria primæ cõcoctionis imbecillitatem agnoſcit, qua, ventriculo cibos non cõficiente nec retinente, contingit eos tales ab aluo deſcendere, quales fuerint per os aſſumpti.

3 Vel cinerea: quæ graueolentia ſolent eſſe, præſertim in cœliaca. Per hanc enim quod educitur excrementum, diutius hæſit in ventre, faciléque putruit, natiui caloris benignitate deſtitutum.

4 Interdum ſpecie cremoris, vt in hepaticis, attractrice nem-

pe iecoris, & retentrice facultate ventriculi languida. Sed albæ sæpius apparent fæces, quia bile priuãtur. Cæterum aquosæ sunt & humentes, quia calore (qui consueuit humidum, vt pabulũ absumere) destituuntur, nec hepar à ventre, veluti natura solet, exugit.

5 Quia cibi substantia non atteritur. Id verò præcipuè fit, quia non retinetur in ventriculo. Contrà, quæ deiiciuntur in affectu cœliaco, læuia sunt & æqualia: quoniam diutius in ventriculo, vel mesenterio substiterunt, & aliquod sustinuêre coctionis rudimentum.

DIARRHOEÆ, DYSENTERIÆQVE SIGNA. CAPVT XVIII.

VLCERE si nullo [1]bilis, [2]pituitave, [3]sola,
Mixtave, decliuem furiosa recũbit in aluum,
Crede diarrhœam. Sin [4]torsio ventris, & vlcus
Affligit, manátque [5]cruor cum [6]fæcibus alui,
Sæua dysenteria est, miserum quæ lancinat ægrum.

1 Flaua vel atra: quarum hæc diarrhœam melancholicam inducit, illa biliosam.

2 Crassa mucosaque, quæ ex intestinis, aut mesenterio corradi solet: aut spumosa, quæ e capite in ventriculum & intestina prolabitur.

3 Omne profluuium alui, præter lienteriam ac dysenteriam, authores plurimi diarrhœæ nomine comprehendunt. Propriè tamen Fernelius diarrhœam statuit, quum synceriores humores & impermixti (qualis est pituita, flaua bilis, & atra seorsim) effluunt. Quibus etiam adiungit id profluuii genus, in quo, quod infernè procedit, quasi adipe, vel oleo perfusum cernitur: vt fit interdum in pestilentibus febribus, causo colliquãti, phthisi, viscerum inflammationibus, & atrophia. Quum tamen syncerus humor raro vacuetur citra perniciem: diarrhœæ verò multæ fiant bonis ægri rebus. Quumque fluor alui creberrimè fiat permixtis simul humoribus, censemus propriè dici & esse diarrhœam id alui profluuium, quo citra vehementem dolorem & vlcus, humores vel seorsim, vel mixti in aluum erumpunt.

pathol. libro 6. capit. 10.

4 Ab acrimonia bilis vel flauæ, vel atræ, vel pituitæ salsæ, substantiam intestinorum vellicantis, & erodentis.

5 Qua-

5 Quatuor habētur dysenteriæ species. Prima, qua sanguis per circuitus quosdam emanat, αἱματηρὰ dicta Græcis, nobis sanguinea, seu cruenta. Secunda, qua per aluū elabitur sanguis aquosus, loturæ carnium haud absimilis, ἡπατηρὰ vocata, quia retētricis hepatis imbecillitate contrahitur. Tertia ex melancholico, splendenteque sanguine constat, sine certo nomine. Et hæ tres vlceris expertes. Quarta, cuius hîc signa damus, iunctam habet intestinorum exulcerationem, deiectiones ramentosas, cruentas, ac dolorificas, quæ dysenteria ꝓpriè nominatur. Quorū omnium commune symptoma est sanguinis per aluum excretio.

6 Si cruor & ramenta reliquis excrementis æquè commiscentur, in superioribus: sin supernatant, in inferioribus intestinis est exulceratio.

TENESMI SIGNA.

CAPVT XIX.

T[1]EINESMVM sæuire docent dolor [2]acer in ano,
[3]Desessúsque frequens, mucosáque pauca per aluum
Reddita, quæ pauco fuerint infecta [4]cruore.

1 Tenesmus est assidua desidēdi cupiditas, in qua muccosum quiddam & cruentum egeritur. Cuius eædem, quæ dysenteriæ veræ, causæ sunt, acrimonia nimirum vtriusque bilis, & pituitæ salsæ. Sed dysenteria, cōmune intestinorum vlcus est: tenesmus solius intestini recti, vel potiùs eius extremæ partis exulceratio.

2 Pars enim affecta (nimirum intestini recti postremum) neruosa est, humórque mordax.

3 Quia rugis ani contentus humor acer ac pungens ad excretionem inuitat, nec, quamuis inuitet, nisi sensim excerni potest.

4 Reseratis ani venulis à conatu: vel potiùs erosis ab humoris acrimonia.

[1]LVMBRICORVM SIGNA.

CAPVT XX.

SI lumbricus edax in corpore conditus hæret,
Fit [2]lientericus fluor, & cum [3]murmure venter

[4]Torquetur, vitreos [5]ſuffuſio fallit ocellos,
[6]Palleſcit facies, vrítque [7]ſine ordine febris.
[8]Pruritus nares, & [9]tuſſis ſicca fatigat,
Inteſtina fero [10]ſuctu morſuque premuntur,
[11]Pungitur & ſtomachus: [12]tremor hinc, defectio, morbus
Quem veteres dixere ſacrum. Quæ tanta ferendo
Quum nõ ſint, morti occumbũt plerumq; [13]puelli.

1 In quibuſdam partibus corporis, vt auribus, veſica, ſordidis vlceribus, exigui vermes aliquando, licet rarò, naſcuntur, σκώληκες appellati. Sed ἕλμινθες, ſeu lumbrici, de quibus hoc capite, creantur in ſolis inteſtinis. Horum quidam longi ſunt, ac teretes ſeu rotundi, in ſuperioribus & gracilibus inteſtinis naſci, & in ventriculum ſubeuntes, per os interdum & nares exire ſoliti. Quidam lati, ex tenuium inteſtinorum, vt volunt, interiori ſubſtantia geniti, longitudine nõnunquam incredibili. Alii parui, tenues ac teretes: quos in longanonis extremo, vel muſculi ſphincteris initio generari, vehemes ad anum pruritus indicat.
2 In quo plerumque ſeminis cucurbitæ ſimilia cum fæcibus in aluum præcipitantur.
3 Crudæ materiæ portione in flatus abeunte. Vnde non murmur tantùm, ſed & diſtentio ventris eſt.
4 Craſſus enim ac pituitoſus humor, lumbricorum materia, putredine contrahit acrimoniam, qua torſiones, ſeu tormina fiunt in inteſtinis. Tormina quoque fiunt à flatibus, quos cruda materia ſuppeditat.
5 Fumis craſſis & putridis, in oculos exhalantibus.
6 Pallent qui lumbricis infeſtãtur, vel ob pituitæ dominium: vel quia minus conficiunt ſanguinis quàm par ſit, & alendis omnibus corporis partibus ſit ſatis. Cruditate namque plurima ſcatent, & lumbricis auidè cibum rapientibus contingit interdum eos velut atrophia contabeſcere. Quorum ſi facies, vt aliquando, rubet, accuſanda febris.
7 Ex inordinato motu vermium, excitãtium materiam in inteſtinis putrem: cuius teter vapor in cor illapſus cauſa fit febris.
8 Ab inhærente ſalſa pituita.
9 Commota in cerebro liquatáque pituita, & in fauces decumbente. Quæ quum tenuis & pauca ſit, ſiccam, non veram tuſſim efficit.

10 Vermes famelici ſugunt interdum ac mordent inteſtina. Nam alimenti penuria pituitam dulcem hærentem eorum tunicis attrahunt, ex qua nutriantur. Quod verum eſſe docet euentus. Etenim cibo ſumpto morſus ac roſio conquieſcit.

11 Quando lumbrici ſurſum remeant.

12 Vellicato, pũctóque à vermibus ſtomacho tremor fit, itémque morbus ſacer, ſympathia neruorum & cerebri: quemadmodum & animi deliquium, cordis cum ore ventriculi conſortio.

13 Lumbrici gignuntur in pueris potiùs quàm adultis. Sunt enim addicti gulæ pueri, natiuíque caloris in humido plurimum habent, quo in crudam craſſamque materiam agente viuum animans producitur.

[1]IMBECILLITATIS RENVM SIGNA. CAPVT XXI.

Si [1] dolor [2] à lumbis dorſum pertingit, & [3] illic
Figitur, [4] obſcœnúmque refert vrina cruorem
Aut [5] ſpeciem commõſtrat aquæ, labat actio renum.

1 Quæ tum eſſe dicitur, cùm renes, citra manifeſtum in illis malum, vt arenulas, abſceſſum, vlcus, à proprio munere deficiũt. Eſt autem eorum proprium munus & actio, ſerum è venis in veſicam propellendum trahere, & cum ſero ſanguinem, quem ſenſim in ſubſtantiam ſuam conuertant.

2 Qui etiam in cæteris renũ affectibus affici ſolent ob viciniã.

3 Renum dolor fixus eſſe conſueuit. Nec enim hi facilè dilatantur ob denſam durámque ſubſtantiam.

4 Loturæ carnium recẽtium aſſimilem. Quod accidit, quum renum facultas imbecilla non ſegregat ſerum á ſanguine. Renes enim ſi naturaliter habent, multum tenuioris humidioríſque ſanguinis cum bile ſimul attrahunt. Et bilioſi quidem excremẽti quicquid non admodum craſſum fuerit, cum vrina permeat. Sanguis verò carni renum aſpergitur inſtar fæcis cuiuſdam. Inde iam vaporis modo paulatim in totam carnem diſpergitur, adhæreſcítque, fitque demum alimentum renibus. Ideóque natura ſerum bilioſum eſt, non cruentum.

5 Lotium aquoſum, alteratricis renum facultatis imbecillæ ſignum eſt, ait * Galenus. Quod tale profundi cenſet * Auicennas

*lib. 1. de Criſib.
*lib. 3. fen 18. tract. 1. cap. 12.

ante cibi digestionem, & aduentum eius ad venas: pòst verò crassum & cruentum, aut loturæ carnis assimile.

[a]DIABETIS NOTÆ.

CAPVT XXII.

PLVRIMA [1]præcurrunt diabeten signa, sed ingens,
Et [3]nunquam sedata sitis comitatur, eáque
Crescit in immensum potus, minor attamen hic est
[4]Incocto lotio. [5]Teneri nam carnea moles
Corporis in tenuem transfertur abítque liquorem.

1 Quem alias dipsacum, hydropem ad matulam, & profluuiū vrinæ vocari scribit Galenus. Cuius causam statuit retetricis renum imbecillitatem. *6. de locis affect. c. 3.*

2 Qualia sunt oris siccitas, alba saliua, præcordiorum grauitas, calor aut frigus à ventre in vesicam: sitis, sed nondum vt in affectu confirmato vehemens, vrinæ profusio solito maior. Et si morbus incrementum accipit, calefactio parua quidem, sed mordax visceribus inhærens, abdomen rugosum, extantes venæ, totius corporis habit⁹ gracilis, vt disertè percurrit Aretæus. *cap. 2. lib. 2. de sign. & caus. diuturn. morb.*

3 Quemadmodum his contingere canit Lucanus, qui à dipsade reptili fera morsi sunt. Quæ potest huius affectus esse causa, vt & venenum aliquod ex his quæ vesicam & renes proprietate quadam infestant.

4 Quæ in diabete profunditur vrina, potus est nequaquā à sua qualitate mutatus, vt ait Galenus. At in tribus, quos hoc affectu deprehensos vidimus, lotium apparuit sero lactis persimile.

5 In diabete, potus quidem plurimus est, multitudini tamen lotii non respondens. Copiosior enim vrina redditur, quàm assumpta sit per os humida substantia. Quare quum corporis habitus fiat inde gracilis, mole corporis in vrinam facessente, diabetes ab Aretæo bene definitur, carnium ac membrorum in vrinam colliquatio.

RENVM

RENVM INFLAMMATIONIS NOTÆ. CAPVT XXIII.

I[1]GNIS edax renum, quem copia ſanguinis auget,
Inducit [2]grauitate trucem, [3]pulſúque dolorem.
Qui [4]circum pubem, lumbos, & inania ſæuit
Ilia: tumque [5]rigent extremæ frigore partes,
[6]Vicini ſtupor eſt cruris, lotiumque [7]frequenter
Exit, & [8]exicca fæces retinentur in aluo.
[9]Tenditur hinc venter, vomitus, ructúſq; ſequũtur,
[10]Aſſiduúſque calor febrilis corpus adurit.

1 Periphraſis eſt phlegmones. Eſt enim hæc, tumor calidus, ex immoderata ſanguinis in partem influentis copia genitus.

2 Ob humoris copiam, & ſubſtantiæ renum denſitatem.

3 Turgentibus arteriis eius loci ſpirituoſo, feruido, multóque ſanguine.

4 Renum dolor vicinas partes per cõſenſum occupans, diſtentione ſæpe conuellit, dilatatis membranis ab inflammationis magnitudine.

5 Remeante in renes & viſcera calore.

6 Inſignis arteriæ magnæ, venæque cauæ ramus incumbens dorſo, in renes & vtrumque crus expullulat. Qui quum à renib⁹ in eorum inflammatione comprimatur, doloris in crure ſtupidi fit cauſa per cõſenſum. Hæc quidem eſt opinio Galeni. Quãquam eodem authore, ſtupor ſeu torpor, ſenſus motúſque diminutus neruoſarum partium eſt, à paralyſi ſola magnitudine diſſidens. Itaque cenſuerim, turgente grauíque præ ſanguinis abundantia crure (dextro quidem, ſi dextrum, ſi læuum, ſiniſtro) ſubiectum comprimi neruum, preſſuque ſtuporem parere.

7 Frequenter vrina meiitur in renum phlegmone. Nam eorũ immoderato calore fit acrior, ideóque pungens ac lancinans, ad excretionem ſui ſollicitat. Sed iſta mictio (quæ primò tenuis eſſe ſolet, deinde rubra, denique craſſa) ſæpe cum dolore fit, vt in ſtranguria. Quod verò Galenus ait his vrinas ſupprimi, quibus renes patiuntur inflammationem, ſic accipiendum, in renum phlegmone copioſam vrinam non profundi, quum eius portio vi caloris partim abſumatur, partim retineatur à renibus. Cre- *libro intro duct. in pulſ.*

brò tamen, ſed veluti guttatim vrinam excerni, propter acrimoniam quam naturaliter habet à permiſtione bilis, & ab exuperante calore renum aſciuit, docet euentus & ratio.

8 Humore propter vicinum incendium exhauſto, cuius, vt vehiculi, penuria, fæces in inteſtinis ſtabulant. Adde quòd tunc inteſtina comprimuntur, & obſtruuntur ob renum dilatationē.

9 Nam quum fæces non exeunt, impeditur coctio, ſequitúrque flatuum ſeges à cruditate.

10 In renum phlegmone continua febris eſt. Aſſiduè namq; putridus vapor in cor aſcendit per arterias, quæ pari magnitudine qua venæ, in renes inſeruntur.

ABSCESSVS RENVM SIGNA. CAPVT XXIIII.

HINC[1] grauitatis ineſt & ſenſus[2] maior & [3]horror
Febrilis, ſanguíſque dein, ſanieſve, [4]carove
Meiitur, aut fundo matulæ [5]pus ſubſidet, vnde
[6]Maius Telephio, grauiúſque relinquitur vlcus.

1 Omnis phlegmone, quæ digeri non poteſt, tranſit in abſceſſum. minùs verò digeri poteſt illa, quæ in denſa compactáque carne, nec bene perſpirabili conſidet. Talis eſt caro renum. Hinc eorum inflammatio ſæpius in abſceſſum vertitur.

2 In abſceſſu, materia phlegmones in vnū coacta coquitur, & coctione craſſeſcit. Vnde tunc grauitatis ſenſus in affecta parte maior eſt quàm in phlegmone, in qua turgens humor nullo conſiſtit loco.

3 Quum abſceſſus fit, febris horrórque ſimul affligunt. Febris quidem, putris ſubſtantiæ vapore in cor elato: horror verò, mordaci materia cutem erodente. Sed hæc varia inordinatáq; cum horrore febris eſt, ait Galenus: forſan quòd materia purulenta non vſquequaque moueatur, ideóque nec putridi vapores in cordis arcem continenter exhalent. At abſceſſu facto cōquieſcit horror, ac febris dolórque minuitur, expirante, & foras egrediente putri materia.

6 de locis affect. c. 3.

4 Exiguæ carunculæ cum vrina ſimul emictæ, renum exulceratorum certiſſimam exhibent coniecturam. Apparent enim eroſa putríque renum ſubſtantia. Ita ſanguinis puriſve mictio

renum

renum aut vesicæ exulcerationem significat, vt *Hippocrates & *Galenus vnà pronunciant. *aph. 75. & 76. lib. 4. *6. de loc. affect. c. 3.

5 Hoc si fœtidum, liuidum, aut muccosum est, malignum vlcus. Sin album, æquale, læue, paucum, benignum & salutare.

6 Est enim vlcus renum, si radices egerit, insanabile. Nam eorum exesa substantiæ portio, vtpote spermatica, reparari nequit, & vrina præterfluens assiduè non finit vlcus agglutinari.

[1]NEPHRITICI DOLORIS SEV RENVM CALCVLI SIGNA.

Caput vigesimumquintum.

CALCVLVS in rene est, lotium si fertur[2] aquosum
Principio, [3]purúmque, dehinc [4]sabulosa residunt,
Spurcáque non rarò [5]sanies commista cruori
Meiitur, estque [6]grauis sedes affecta, propinqui
Fitque stupor cruris, nec [7]dorsi spina repandi
Flectitur ex facili. Species non vna doloris.
Namque cauo renis statuas hærere lapillum,
Si dolor [8]obtusus forsan premit. At furor amens
Torquet & immanis, quum sede priore relicta
Vretera petit: [9]bilis pituitáque demum
Reiicitur vomitu, [10]leuior quo redditur ardor,
Æger in affecta querulus si parte recumbit.

1 Νεφρίτις, commune nomen est omnium renum affectuum. Propriè tamen renum calculus hoc nomine designatur, forsitan quòd is omnes renum morbos doloris magnitudine superet, sitque cruciatus vehementia cæteris anteponendus. Cuius materia crassus est crudúsque succus, & igneus in renibus calor, qui humorem adassans, eum cogit, & indurat in lapidem.

2 In renum calculo quia dolor est ingens, serum crudum ab eisdem attrahitur. Hinc vrina meiitur aquosa. Meiitur & tenuis obstructis meatibus, per quos id tātùm quod subtilium partium est, percolatur, & crassum in renis cauo retinetur, appositúmq;

calculo molem illius auget.

3 i. sine arenulis.

4 Solutis obstructionibus, naturæ medicamentive robore.

5 Nempe quando calculus è renis substantia prodiit in eius cauum. Tunc enim partẽ cui adhærescebat, dilacerat, vnde cruor & sanies.

6 Ob calculi molem, & pondus.

7 In nephritide spina dorsi non facilè flectitur. Hac enim inflexa concutitur calculus, qui dolorem acerbum attritu concitat.

8 Quum in renibus consistit calculus, dolor obtusus est: siquidem hi neruis exiguis præditi sunt, vt & iecur. Sin ille se in vreteris caput insinuat, acerbissimum inuehit dolorem, quia dilatando lancinat, interdúmque dilacerat vreterem, cuius est neruosa substantia.

9 In dolore nephritico, velut & colico, vomitus fit, connexione renum & coli per peritonæum, vt sentit Galenus. Sed & è sexta neruorum coniugatione gracilis neruus renibus & omnibus intestinis distribuitur, per quem est illis cõnexio societásque cum orificio ventriculi. Qui verò fit vomitus in coli renúmque cruciatu, pituitosus est initio, quia talis succus in ventriculo creari solet à cibis crassis, aut multis: deinde biliosus, assato: æruginosus denique per dolores ac vigilias corrupto sanguine.

comment. 1. ad part. 6. lib. 6. epidem.

10 Per vomitum calculosi liberantur ab accessionibus, at non ab affectu. Tum enim doloris quidem acerbitas conquiescit, rene liberiore, sed materia coniuncta, nempe calculus, non tollitur. Ita si decũbit in affectam partem æger, remissum dolorem sentit, quia calculus non suspenditur, vt quum in contrarium latus inclinat. Nec tamen hinc ille sanationem recipit, quum de calculi mole nihil eo pacto detrahatur.

[1]LITHIASIS, SEV VESICÆ CALCVLI SIGNA. CAP. XXVI.

SIN vesica fouet lapidem, leuis ille putetur
Quum [2]prurit pubes, cõtrectatúrque pudẽdum
Sæpius. At grandis fieri grauitate notatur.
Túmque dolor tristis [3]motu saltúque cietur,
[4]Mictio fitque frequens, [5]excernẽdíque per aluum
Crebra cupido tenet, lotium [6]crassescit, idémque

Turbatur

Turbatur, fundúmque petens pars ſpiſſior, albi
Viroſive refert puris, muccive colorem.

1 Λιθίασις, calculi morbus eſt, communiter quidem renum ac veſicæ: ſed huius, quàm illorum magis peculiaris. Cuius cauſa cruditas eſt, ardórque ventris, aut veſicæ, quo vrina retinetur, quódque craſſiſſimum ac turbidiſſimum in ea eſt, ſenſim aceruatur, ac denique concreſcit in tophum.

2 Pruritus pubis & perinæi, fit ob titillationem oberrantis calculi circa pubem & iſthmum veſicæ: ſignificátque calculum exiguum, ſi grauitas affectæ partis, & alia in textu poſita ſigna nō comparent. Quibus exiſtentibus ſi pruritus eſt, huius cauſam ſerum aquoſum eſſe probabile, quod quando calculum prælabitur, ob meatus anguſtiam tenuatur, & acrimonia ſua ſenſibiles veſicæ partes leuiter pungit ac mordicat.

3 Veſica, membranoſa, pluribúſque & magnis prædita neruis eſt ad exquiſitiorem ſenſum. Ideóque quum in hac agitatur calculus, dolorem acerbum inducit.

4 Dum vrinæ meatum obturat calculus, vrina caleſit, & mora contrahit acrimoniam: ideóque pungens, ad excretionem ſui concitat & impellit. Quumque ſemel & copioſè (ſphinctere muſculo violenter compreſſo) nequeat excerni, quod ſemel nō poteſt, frequentia mictionis excludere natura contendit.

5 Inteſtino recto cōpreſſo à calculi magnitudine: vel potiùs irritatis muſculis ani leuatoribus, qui veſicæ ſubſtrati, eidem ſphincteri adhærent.

6 Calculoſi variam vrinam effundūt. Interdū quidem ſplendidam ſeróq; ſimilem, quando quod craſſiſſimū ac turbidiſſimum eſt, in veſica manet, coaceruatur, atque concreſcit, inquit Hippocrates. *lib. de aere aqu. et loc.* Aliquando ſubcruentam, veſica à calculo qui ſcaber ſit, & inæqualis, exulcerata, vt idem *ait. *lib. 4. de morb.* Craſſam interdum ac turbidā cum ſedimento muccoſo vel purulento, ab arenularum & humoris craſſi viſcoſique copia, quam adiunxit, agglutinauítque ſibi calculus, ac dein vrina præterfluens, quæ natura mordax, tenuiúmque partium eſt, corraſit: vel ab vlcere veſicæ ſordido.

PHLEGMONES VESICÆ SIGNA. CAPVT XXVII.

INFLAMMATA fero cruciat veſica dolore.
Quem rubor ignitus perinæi prodit, & ardor,

Febris acuta, [2]grauis distento in pectine sensus,
[3]Fæcibus occlusæque viæ, [4]lotiúmque retentum.

tetrab. 2. sermon. 3. cap. 26.

1 Inflãmationem vesicæ lethalem facit Aetius, non quòd hæc nullam omnino curationem admittat, sed difficillimam. Est enim vesica, neruus (vt Aretæi verbis vtar) frigidus albúsque, ab innato calido quamlongissimè, quamproximè verò externo frigori positus. Quare quum inflãmationem subit, in gangrænam incidit facilè, nisi subitum remedium, imminens periculum anteuertat.

2 Pecten & pubes in vesicæ, vel potiùs eius sphincteris inflãmatione distenduntur vrinæ copia, quæ ob vrinarii meatus angustiam exire prohibetur.

3 Ab inflammatione vesicæ rectum intestinum incalescit & coarctatur, vnde resiccantur, supprimuntúrque fæces: non ita tamen, vt illis via penitus occludatur: sed quod excluditur ab aluo, paucum sit, & cum excernendi summo desiderio, quemadmodum vsuuenit in tenesmo, de cuius signis antè scriptũ est.

4 Vrinæ suppressio, quæ fit ob vesicæ phlegmonem, periculosissimum est symptoma. Nec enim si per catheterem immissum viam illi moliri conamur, aliquid proficimus: imò partem affectam irritamus, & acceleramus gangrænam, aucto dolore. Sin suppressioni non occurrimus, symptomata grauissima consurgunt, sequenti capite commemoranda.

ISCHVRIÆ SIGNA.

CAPVT XXVIII.

VRETER, lotio [1]suppresso, plenus vterque
Tenditur, atque sero renum regio humida [2]multo
Turgescit, vesica [3]tumet, sensúsque doloris
Pondere vexantis ventosa per ilia fertur.
[4]Non sibi mens constat, moribundáque membra videntur
Horrere interdum, neruísque rigere coactis.

1 Vrina

1 Vrina vel guttatim effluit:vel difficulter,& summo cum dolore : vel omnino supprimitur. Prima species, Stranguria: secunda, Dysuria:tertia vocatur Ischuria,de qua nūc agitur. Quæ proprius est vesicæ vel adstrictæ, vel obstructæ morbus. Vulgo tamen suppressionem omnem sonat, seu renum, seu vesicæ vitio, cuius hîc communia signa referuntur. Quum Ischuria peculiaris vesicæ morbus est, meiendi desiderium inuitat summo quidem, sed irrito conatu, pubes distenditur ac dolitat vrinæ collectæ copia, immissoque cathetere copiosior vrina profunditur, vnde leuatur æger. Sin Ischuria symptoma renum est, grauitas in lumbis,dolórque sentitur : nulla,vel minima meiendi cupiditas,in pube nec dolor nec tumor: inanis est vesica,proinde nec ab ea quicquam,immisso cathetere prolabitur.

2 Vrinæ refluxu.

3 Nam hæc vrina repleta distenditur, distentáque fit arctior, sic,vt eius meatus,ob angustiam, & contractionem in sese nihil humoris exire patiatur. Quod contingit quando pus crassum,lapis, tuberculum innatum ipsius vesicæ meatui,phlegmone, scirrhus, aut quiduis aliud præter naturam vesicæ viam intercipit & obturat.

4 Vrina sursum in Ischuria remeās talia producit symptomata:bilis acrimonia,quam hæc in se plurimam continet, cerebrū, neruosáque corpora feriente.

[1]PRIAPISMI SIGNA.

CAPVT XXIX.

ARRIGITVR nulla si fortè libidine coles,
Et [2]tetano quodam premitur,[3]medicina paranda est
Quæ citò succurrat: siquidem distenditur imus
Venter, &[4]exorto gelido spes nulla madore.

1 Affectus hic à Priapo (quem ex prægrandi pene superstitiosa nobilitauit antiquitas) nomen habet, quoniam eo qui tenentur, pudendum assiduè tensum habent, longum ac tumidum, sed citra Veneris appetentiam. Arrigitur verò, tenditúrque in priapismo pudendum à causa vel calida,vel frigida. Frigida quidem,flatulento spiritu in fistuloso neruo genito: Calida verò arteriarum osculis nimiopere patentibus. Cui posteriori causæ

quamprimùm occurrendum, ne vitali ſpiritu in neruum fiſtuloſum confertim effuſo vires exoluantur. Prior autem cauſa minùs vrget. Nec tamen eſt curatio negligenda, quum vtriuſq; ſymptoma ſit conuulſio, quæ doloris magnitudine vires proſternit, aut ſaltem plurimum imminuit.

2 Fiſtuloſus quippe neruus flatulenti ſpiritus copia tenſus, reliquum genus neruoſum ſympathia quadam afficit.

3 Hîc purgante deorſum pharmaco non eſt opus, ne cõmoti ſemel humores in partem affectam, aluo vicinam traducantur: ſed vomitu, clyſtere blando, roborantibus aſſumptis & admotis topicis, quæ medicinæ nomine comprehendimus.

4 Natiui caloris extinctione.

[1]VERÆ GONORRHOEÆ SIGNA. CAPVT XXX.

QVVM nequit obſcœni fieri tentigo[2] pudendi,
Et fluit immodicè Veneris ſine munere ſemẽ,
Id[3] crudum fluit inſtar aquæ, tenuíſque liquoris.
Et tunc à[4] lumbis totum[5] macileſcere corpus
Incipit, & tenues languor grauis occupat artus.

1 Omnis inuoluntaria ſeminis excretio, ſiue quæ tenſo pene fit, ſiue nõ, Gonorrhœa generali ſignificatione dicitur. Propriè verò ſic nominatur hæc, in qua perpetuò ſemen, citra pudendi tenſionem effluit, quam hoc capite deſcribimus. Hæc quidem ſpermaticorum vaſorum facultate retentrice reſoluta fit. quæ verò tenſo pudendo accidit, affectio pudendi eſt, à conuulſione profecta.

2 Pudendum (mentula, penis, ſeu coles, idem) attollitur naturaliter à copia ſpirituum, fiſtuloſum neruum inplentium. At in Gonorrhœa ſpiritus abeunt cum ſemine. Quare, quum in hoc affectu pauci relinquantur, coles etiam non arrigitur.

3 In paraſtatis quippe coctionem non admittit. Nam in his non immoratur, ob ſpermaticarum partium infirmitatem.

4 A quibus, vt ſpermatica vaſa continentibus, effluit ſeminalis materia.

5 Eſt enim ſemen ex omni corporis parte (ſed vberius è iecore per venas, è corde per arterias, & è cerebro per neruos) deciduũ. Quamobrem eius fluor immodicus omnes corporis partes

tes

tes emaciat, debilitátque: ſpiritibus, qui robur tuentur, molemque corporis augent, cum ſanguine (fit enim ex eo ſemen) ſimul abeuntibus.

GONORRHOEÆ VIRVLENTÆ SIGNA. CAPVT XXXI.

Ille quidem[1] vetus eſt, & primis natus in annis,
Hic verò, cuius meditamur ſigna, fefellit
Morbus auos, noſtróque genus deducit ab æuo:
Atque Gonorrhœæ vocitatur nomine fœdæ,
Furtiuo quia congreſſu de cole perenne
Seminis effluuium eſt,[2] non aduertentibus ægris.
Quódque fluit ſemen,[3] candet, palletve colore,
Fœtet odore[4] graui, tenſóque vt fune pudendo,
In mictu ſenſus[5] ferus eſt, acérque doloris.
Hinc ductum penis ſtillans depaſcitur vlcus,
[6] Suppreſſumve cauat perinæum virus, & extrà
Materiam fundit, priùs intus pure coacto.

1 Gonorrhœa vera, cuius ſuperiori capite data ſigna ſunt, veterum ſcriptis eſt celebrata: fœda verò, quæ contactu polluit, cuius hoc capite perſequimur notas, eandem cum lue venerea trahit originem. Luem autem venereã, de qua ſequenti capite, tum cœpiſſe perhibent, quum Carolus octauus Galliarum Rex Neapolin cum exercitu profectus eſt. Ideo quoniam in Gallis tum primùm, quaſi popularis apparuit hic morbus, Gallicus appellatur. A nonnullis Italicus & Neapolitanus, ſiquidem in Italia primùm graſſatus eſt, itémque Neapoli. Verùm Hiſpanos eum primò contraxiſſe certum eſt in Hiſpaniola, quæ ſpectat Americam, eo tempore, quo ductore Columbo illic cum claſſe reſederunt, anno ſalutis 1496. Poſt quæ tempora Fernando, principi Siculo ſuppetias ferentes Hiſpani cõtra Carolum octauum Galliæ regem, Neapolitanos, & Gallos, Italóſque polluerunt, vt ab illis ideo iure dicatur Hiſpanicus. Poteſt idem nunc quoq; dici Barbaricus, quum in Barbaria, prima Africæ parte, ſit endimius & vernaculus. Illos enim duntaxat, qui regionem hanc

incolunt, quaſi populariter ferit. Vicinos autem his populos, vt Numidas, eóſque qui Libyam & montem Atlantis (vbi Marochia, quondam vrbs nobilis & Africæ totius imperium) inhabitant, haudquaquam attingit. Multóque minus Nubios: ad quos qui ſe, venerea conſpurcati labe conferunt, ſolius peregrini ſoli benignitate, ſine pharmaco vllo ſanãtur, vt Ioãnes Leo, ſcriptor Afer, oculatus teſtis, aſſerit in Africæ noua deſcriptione.

lib.1. ferè ſub finem.

2 Vigilantibus, paritérque dormientibus, ſine manifeſto ſenſu, in hac, vt vera Gonorrhœa, ſemen elabitur, à ſpermaticorũ vaſorum ac teſtium imbecillitate.

3 i. album vel citrinum. Citrinum quidem ſemen magis virulentum eſt & acrius, ideóque citiùs exedit, & exulcerat.

4 Superat enim vulgarem putredinem, quia contagione polluit, atque contaminat.

5 In Gonorrhœa, materia quæ vaſis ſpermaticis includitur, in tetrum fœdúmque virus faceſſit, quod penis meatum exedẽs & exulcerans, dolorem ſemper quidem infert, ſed in emictione, quàm alio tempore grauiorem. Nam quum vrina ſit acris, locum affectum permeans exaſperat.

6 Virulentus fluor in hac fœda gonorrhœa citò ſupprimi nõ debet. Aliàs, remeante materia colligitur intus abſceſſus circa teſticulum, aut in perinæo, quo pus tetrum & graueolens effunditur.

[1]VENEREI MORBI SIGNA.

CAPVT XXXII.

DIRA lues Veneris, quæ [2]Gallica proditur, [3]omnes
Inficit, & [4]minimis latitat vix cognita ſignis
Principio, ſenſimque truci lacrymoſa dolore
Exigit à [5]ſcorto meritas pro crimine pœnas.
[6]Exucca ſiquidem primò radice pilorum
Barba cadit ſenſim, decorant nec tempora crines,
Aſpiciturque cutis macula conſperſa frequenti
Et parua, [7]croceum, [8]rubrúmve tenente colorem.
Puſtula dein maior cruſtis obducta videtur
[9]Sicca, rotunda, caput, frontémque, & tempus vtrumque,

Et

Et totum corpus [10] vario fœdare colore.
Vlcerat & teneras fauces, tenerúmq; palatum
Virus, & authores morbi, genitalia, sedes.
Quúmque malum serpẽs solidis in partibus hæret,
Tunc dolor & grauitas capiti est, ac aura maligna
Effusa in latos humeros, periostia, collum,
Ossaque, membranas, tendones, vincula, neruos,
Affligens in [11] nocte magis, [12] cruciatibus implet
Innumeris, corpúsque vigil [13] tabescit, & inde
Viribus exhaustis homo fit deforme cadauer.

1 Morbum hunc, non Gallicum, Hispanicum, Italicum, aut Neapolitanum, inuisum suæ cuique genti nomen, sed Venereum appellamus, quia venereo concubitu primùm & maximè contrahitur. Qui, quia nulli nec sexui, nec ætati parcit, sed in omnes venenata quadam & maligna qualitate, perniciosaque labe grassatur, bene definitur à Fernelio, Contagiosus affectus, qui cum vlcere, vel ingenti cruciatu variis locis emergit, ac sæpius extuberat. *lib.6.pathol.*

2 Huius, & aliorum ex varia gente nominum ad venereæ luis appellationem origo fuit exposita superiori capite, partic.1.

3 Contactu, non halitu solo. Venenata quippe luis venereæ qualitas simplex & solitaria non est, sed in humore, vt subiecto quodam & vehiculo subsistit.

4 Primùm enim inficit spiritus, dein humores, partes denique solidas.

5 Hæc calamitosa lues, non tantùm est miserabile scortatorum flagellum, sed insontes (vt puellos, & impuberes) pariter ac sontes truculenter affligit, nimirum hos qui contagioso parentum semine sati sunt, aut maligni humoris cõtactu lacessiti.

6 A tenui malignóque vapore.

7 Virulenta bile in summa corporis effusa.

8 Massa sanguinis labem sentiente, ex qua portio quædam tenuis in corporis habitum rapta, cutis densitate cogitur.

9 i. sine pure. Non tamen perpetuò siccæ pustulæ sunt: sed, si negliguntur, serpunt in ambitum, & cutim excauant, vnde fit vlcus virulentum, ac sordidum.

10 Nec enim vnius tantùm coloris existunt pustulæ, quemadmodum nec vnius humoris est venerea labes. Sed in biliosis

bilis exæstuat, huiúsque signa conspicua sunt ex colore pustularum flauo, pallido, citrinove. In pituitosis albæ maculæ: rubræ, quum peccat sanguis: & nigræ, quum atra bilis dominatur, efflorescunt.

11 In hac fœda perniciosaque lue noctu dolores exacerbantur, & ingrauescunt: vel quòd pituita (quam plerique communem huius morbi volunt esse materiam) nocturno tempore moueri solita, in partes sentientes fluxione decumbit, in hisque cõgestam virulentam materiam excitat: Vel quòd ob immensas noctis vigilias (quæ præter naturam sunt, vt naturales diurnæ) doloris sensus est exquisitior.

12 Nam ossa quasi terebello perforari sentiuntur, tendines & vincula distendi, rigere nerui, periostia, membranæque reliquæ diuelli.

13 Hoc enim affectu non modò partium corporis temperamẽtum, sed & tota substantia peruertitur, vt vix vlla deinceps probo puróque fruatur alimento.

14 A neglecta lue venerea tabes, & ab ea mors sequitur, quia vires concidunt spiritibus exhaustis per vigilias & atrophiam, corruptóque denique solidorum corporum temperamento, si curatio negligitur. Sin verò priusquam vires omnino decidant, idoneis pharmacis corpus repurgetur, malignaque qualitas per ea quæ proprietate quadam arcana valere comperiuntur, vt per lignum sanctum, seu Guaiacum, Chynam, Sarzapariliam sumpta, & admotum hydrargyrum à multis celebribus improbatũ medicis, sed vsu vtile compertum, non temere tamen, nec, nisi quum morbus solidas partes occupat, admittendum eluatur, & diæta congruens imperata teneatur: resarcitur tãdem ea substantiæ portio quæ defluxit, & quod alteratum est, ad teperiem denique reuocatur. Hinc ab affectu tam crudeli vindicatur æger & pristinæ restituitur sanitati.

LIBRI TERTII FINIS.



DE SIGNIS MORBORVM *liber quartus.*

CALIDIORIS VTERI SIGNA.

CAPVT PRIMVM.

QVVM calor est [1]vteri, [2]reliquum calor vrere corpus
Assolet, & menses [3]certa sine lege feruntur,
Fundētes [4]paucum, ac [5]tenuem, [6]nigrūve cruorem.
Vlcerat & [7]pungens humor muliebre pudendum,
Amplexúsque cupit mulier [8]lasciua saláxque.

1 Vterus, μήτρα Græcis appellatur, quòd ab hoc animantia cuncta, velut à matre ducant originem. Is enim est cōcipiendi gerendíque fœtus instrumentum. Qui quamuis posterior situ sit omnibus visceribus (hinc & ὑστέρα dicitur) & ignobili loco constitutus, nimirum inter vesicam & rectum intestinum: cum principibus tamen partibus summam habet affinitatem per neruos, venas & arterias. Per quæ organa, suos illis affectus sæpe communicat, vt hoc libro, quo morborum hystericorum peculiares traduntur notæ, patebit.

2 Quum est intemperies vteri calida, reliquum corpus calidum esse non est necesse, nisi pariter calidum sit totius corporis temperamentum. Sæpe fit tamen, vt toti corpori suam intemperiem communicet, siquidem cum omnibus eius partibus consentit.

3 Quum intemperies vteri calidior est, menstrua purgatio nullum ordinem seruat, quia sanguis ob tenuitatem & acrimoniam

in venis diu contineri nequit.

4 Immoderato calore, plurimum humoris è sanguine consumente.

5 Si bilescit sanguis.

6 Si per adustionem efficitur melancholicus.

7 Talis humor, sanguis biliosus est, aut serum.

8 Mulieres, quarum vterus est calidior, magis lasciuæ sunt atque salaces. Nam, præterquam quòd sanguis cõcitatur, seménque titillat in vasis per calorem: humiditas etiam serosa cum spiritu iuncta commouetur, & euacuari postulans, acrimonia & mordacitate sua genitales partes excitat ad agendum, eísque voluptatem incredibilem suscitat, acrium humorum exemplo, qui delitescentes sub cute maximum pruritum inducunt, suóque motu non exiguam inferunt voluptatem: vt docet Galenus. *lib. 14. de vsu part.*

FRIGIDIORIS VTERI NOTÆ.

CAPVT SECVNDVM.

FRIGIDIORE [1] labant vtero titubantia crura,
[2] Deficiũt mẽses, [3] Venerísque retunditur ardor,
[4] Lũborúmque grauat stupidus cum pectine sensus,
[5] Ósque coit gelido contractæ frigore metræ.

1 In affectu vteri frigido crurum imbecillitas est, neruis qui eorum musculos mouent, per consensum affectis. Eadem verò frigore titubant, vel quia rigent, torpentve ab intemperie frigida simplici, vel quia crasso, viscidóque quodam humore eorum nerui referti sunt.

2 Frigus enim cogit sanguinem in vteri venis contentum, & meatus, per quos elabi debet, obstruit.

3 Nam vt ad cõgressum inuitat calor & humor, à quibus pruritus & titillatio: sic ab eodem auocat frigus, à quo sensuum stupor, & omnis voluptatis alienatio.

4 ὀσφὺς, seu lumbus, communiter ea dorsi pars est qua cingimur: propriè verò, pars infra dorsum quinque vertebris, omnium crassissimis maximísque compacta. Quæ, quia ossi sacro (quod firmissimis ligamentis connectit vterum) adhæret; vteróque subiacet, eius quoque consentit affectibus. Cuius si intemperies est frigida, eáque simplex, stuporis tantùm: sin cum humore, grauitatis quoque sensu lumbus obsidetur.

5 Vterus

5 Vterus(quẽ μήτραν appellari præmonuimus)quũ intemperiem frigidam nactus est, eius os imprimis contrahitur. Est enim id, vt totum vteri collum, musculosum quidem, sed dura cartilaginosaque carne compactum: ideóque per se iam frigidum, intemperie frigida totius vterini corporis redditur frigidius. Frigoris autem est constringere, vt dilatare caloris.

SICCIORIS, ET HVMIDIORIS VTERI SIGNA. CAP. III.

SICCA[1] facit sterilem, quia [2]menstrua nulla mouentur.
Humida sin matrix, vterino sæpe [3]fluore
Fœmina vexatur, menses & [4]aquosa profundunt
Multáque, sentit onus pubes lumbíque molestum.

1 Intemperies vteri sicca, sterilitatis vna quidem, non sola causa est. Omnis enim intemperies vteri, sterilitatem inferre potest. Nam quæ mulieres frigidos vteros habent, non concipiunt, ob earum substantiæ densitatem. Humidis extinguitur genitura. Siccioribus & æstuosis alimẽti penuria semen corrumpitur, vt scribit Hippocrates. Nec solùm intẽperies vteri steriles facit: sed & principum partium, vt ventriculi, iecoris, lienis, pulmonúmque latens vitium, obstructio, scirrhus, cachexia, leucophlegmatias, icterus, atrophia, tabes, lenta febris, omnis denique cacochymiæ soboles. Itémque viri semen infœcundum, eiusdémque partium obscœnarum vitia, qualia sunt gonorrhœa, spermaticorum vasorum obstructio, coarctatio, contusio testium, & pudendi exilitas, & mala conformatio quælibet. Adhæc in mulieribus testium, spermaticorúmque vasorum vitia, oris, aut ceruicis vteri vel amplitudo, vel angustia, obstructio, obliquitas, peruersio, ab eísque mensium suppressio. *aph. 62. lib. 5. aph.*

2 Viragines, saltatrices, & cantrices naturaliter nõ purgantur, ait Aetius, quia quicquid in eis superfluum est, nimia exercitii vehementia consumit. Eædem ob siccitatem sunt steriles, quia semen quod à viro in earum vterum immittitur, priuatum alimento, nempe menstruo sanguine, vel aduritur, vel euanidum excidit. *tetrab. 4. sermon. 4. cap. 51.*

3 Reseratis vteri venarum osculis ab eorum imbecillitate, vel humoris copia.

4 Sanguis enim ob humidam intemperiem crudus est.

SIGNA MENSTRVÆ PVRGATIONIS PRÆTER NAturam *suppressæ. Caput quartum.*

MENSTRVA [1] si vitio quodam retinentur, [2] in omni
Corpore pondus ineſt, ſed ineſt in [3] pectine maius:
Atque [4] dolor lumbis, [4] femoríque inſiſtit vtrique,
Sincipiti collóque grauis. Tum [5] febris, & [6] horror,
[7] Nauſea, [8] defectus, [7] vomitus, [9] privatio vocis,
Et [10] ſitis exoritur, ſed non inſurgit [11] orexis,
Purpureúſque cutim tumor, aut ſacer ignis adurit.
[12] Turbidius fieri lotium, matulámque [13] rubore
Sæpius, interdum [14] picea fuligine tingi
Cernitur, aut [15] guttis multo conamine labi.
Denique vel [16] propriis vaga mens à ſedibus errat,
Abdomenve [17] tumet, turgent & crura, pedéſque.

1 Menſtrua purgatio præter naturam deficit multas ob cauſas. Externas quidem, vt ob inediam, laborem impenſum, copioſum ſudorem, immodicam ſanguinis profuſionem, curas, mœrorem. Internas autem, vt ventriculi, iecoris, lienis, & pulmonum intemperiem, obſtructionem, ſcirrhum, icterum, cachexiam, tabem, atrophiam, hydropem, aſthma, & alios id genus affectus, quorum vitio, venarum ſanguis labefactatur: quemadmodum idem craſſus lentúſque fit otio diuturno, viſcoſorum & craſſorum alimentorum vſu, frigidæque multa potione. Sic vteri refrigeratio, obſtructio, peruerſio, & quicquid interius os eius obturat, vt concretus ſanguis, adipis copia, caro excreſcens, adnata pellicula, malè inducta cicatrix ab vlcere: conformationis denique naturale vitium, ſuppreſſionis menſium plerumque cauſa fit.

2 Nam plenis vteri venis, ſanguis in alias corporis partes continuatione quadam illabitur, eáſque turgidas reddens, tenſiuam parit laſſitudinem.

3 Hic quippe ſubiectus eſt vtero, cuius in venis conculcatus ſan-

ſanguis, cum onere grauat.

4 Tenſis vteri ligamentis, & fibroſis neruoſiſque, quæ his locis adiacent, partibus, à plenitudine.

5 Ab obſtructione, putredinis parente.

6 Tenui mordacíque materia ex ſanguine in ſentientes corporis partes illapſa.

7 Inferiore ventriculi ore ſurſum elato, commotíſque qui in ventre ſunt humoribus.

8 Vellicato ore ſuperiore ventriculi ab acri vapore: vel oppreſſo corde potiùs. Nam ab vtero ſurſum elatus ſanguis, thoracis venas implet, vnde dyſpnœa: multúſque ex maioribus vaſis interdum excitatur vapor, quo pericardium humore perfunditur defectionis crebræ cauſa.

9 Affecto neruorum principio, cum quo maximum habet conſenſum vterus per neruos, & ſpinæ membranas. Vel muſculis linguæ, ſanguinis copia prægnantibus, ideóque ad motum ineptis.

10 Nam, ſanguine multo per obſtructionem putrente, febrilis calor accenditur, quo multiplicatur bilis: quæ in ſtomachum irrepens ſitim inducit.

11 Nauſeat nempe ventriculus ex ciborum abundantia.

12 Ex humorum vitio, & ſpirituum agitatione.

13 Ex copia ſanguinis. Nam vrinæ color & conſiſtentia, humorum in venis contentorum index eſt, niſi renum aut veſicæ vitium iudicium interturbet.

14 Qua portenditur fæculentum in venis dominari ſanguinem. Cuius cauſa calor, aut frigus eſt. Nam ab vtroque nigredo fit. A calore quidem, in humidum agente: frigore in ſiccum, vt demonſtrat Auicennas. Ideo ſanguis, qui in venis concitatus efferbuit, & cōtrà qui perſtitit immobilis, terreſtrémque nactus eſt qualitatem, ſerum nigricans in renes exprimit, ſuppreſſis mēſibus. *lib. 1. fen. 1. doctr. 4.*

15 Obſtructis renibus, & bileſcente ſero.

16 Mulieres, ſuppreſſis menſibus, incidunt interdum in phrenitidem, maniam, & melancholiam, billioſo, vel aduſto vapore, vel humore in mentis domicilium elato.

17 Oppreſſo iecore præ copia ſanguinis, illuc ab vtero regurgitantis, hydrops conſequitur. Facultas quippe ſanguifica reſoluitur, & natiui caloris penuria, vice ſanguinis aquæ procreantur quæ primò decumbunt in abdomen, crura, pedes. Sunt enim partes hæ decliues, natura frigidæ, & à natiui caloris fonte remotiores.

HYSTERICÆ [1]SVFFOCATIONIS NOTÆ. CAPVT V.

STRANGVLAT [2]hinc vterus, si non succurritur, ægram.
Namque[3] cibos grauidus venter fastidit, & odit,
Et desiderium sequitur, sed [4]inane, vomendi:
[5]Cor labat obsessum, breuis est, & sæpe mouetur
Spiritus, atque rubet facies, geminæque putantur
Occludi fauces. Gelido perculsa pauore
Fœmina tunc diffidit, & vt moribunda quiescit,
[6]Vt pulsu motúque carens, ita munere linguæ.
Nō tamen horrendæ sunt hæc certa omina mortis.
Sed [7]pulsus, sensúsque redit, quum murmure leni
Venter mollior est, vteri laxantur habenæ,
Eque locis humor liquidus muliebribus exit.

1 Suffocatio, seu strāgulatus vteri nominatur hic affectus, quoniam in hoc, vteri vitio, respiratio præpeditur, tetro quodam vapore in diaphragma cerebrúmque, per spinæ membranas & neruos: inq; cor, per arterias elato. Vel vteri corpore sursum impulso, & mutuo contactu ventriculum diaphragmáque premente: vel remeante ex vtero in venas arteriásque superiores sanguine, quo thoracis venæ præcipuè turgent, & plenæ carotides arteriæ spiritum intercipiunt.

2 Non solùm à suppressis mensibus, quorum superiore capite commemorata signa sunt: sed etiam á retento semine contingit hysterica suffocatio. Quúmque sit hæc Epilepsiæ similis: Epilepsia verò fiat non à repletione tantùm, sed etiam inanitione, siccitas etiam inter suffocationis vteri causas recensetur. Interdum enim impensè vacuatis, inanibúsque muliebribus vasis, vterus sursum ad iecur conuertitur, à quo demum humiditatem attrahat, vt plerique contra Galeni sententiam contendunt, *Hippocratis doctrinam sequuti. Nec enim absurdum est vterum sursum, deorsum, & in vtrumque latus concitari, quum id, admota plerumque manu, verum esse deprehendatur.

libro 6. de loc. affect. capit. 5.
**lib. 1. de morb.*

3 Eos

3 Eos enim tum non bene continet, neque conficit ventriculus. Siquidem eius os, præsertim inferius, comprimit vterus, dum sursum attollitur.

4 Nihil enim, aut parum cibi cõtinet ventriculus, ob frequentem ante paroxysmum anorexiam. Nec leuat vomitus, quia suffocationis causam efficientem non tollit.

5 Sequentia signa quum insolita sint, & plena terroris, à suppressi sanguinis sola copia putridive seminis vulgari qualitate fieri non posse videntur. Sed rationi magis est consonum ex illis spiritum quendam, aut vaporem tenuem suscitari, qui scorpionis ictus instar malignus, principes corporis partes offendit.

6 Vt in confesso est spirationem à vita, vitámque à spiratione seiungi non posse: sic pulsum non esse, viuere tamen animal est impossibile. Mulieres tamen hystericæ, quum paroxysmus est vehemens, sine spiritu pulsúque iacent, interiisseque vulgò putantur, quæ nihilominus viuũt. Venenatus quippe malignúsq; vapor nõ modò per venas & arterias, sed & cæca spiracula sublatus ab vtero, partium quas attigerit facultates offundit, & earum intercipit functiones. Aut, vt quidam opinantur, frigidum humidúmque semen corpus vniuersum refrigerat, vt qui reliquus est in corde calor, sine respirationis pulsúsque nota tueri se possit, contentus sola transpiratione, quæ per poros efficitur. Quæ transpiratio, quamuis cordis arteriarúmque motu definiatur, hic tamen ita paruus est, vt omnino sensum effugiat. Calor enim imbecillus, ventilatione, quæ spiratione fit, & arteriarum euidenti motione, nulla prorsus indiget: vt probat Galenus eorum animantium exemplo, quæ per hyemem in latebris, sine respirationis vsu degunt, conuenientíque vita fruuntur.

7 Deorsum vrgente materia noxia, relinquentéque partes nobiles, vnde quiescit paroxysmus.

FVRORIS VTERINI SIGNA.
CAPVT VI.

QVVM [1] furor est vteri, lachrymis nunc mœret obortis,
Nunc ira infræni sæuit, nunc gaudet, & instar
Mœnados impatiens, dicenda tacendáque passim
Effutit mulier. Cui non Cirrhæus Apollo,
Nec Lucina placet, Paphiæ vt placet aliger infans.

Quod loquitur, [2]Venus est, Venus est quod mente capessit,
[3]Prurit inexpletum nullo tangente pudendum,
Contactúmque mouet [4]mira dulcedine sensus.

1 Morbus hic, furor vterinus appellatur, quia cerebro per vteri consensum affecto rabiosum in eo sequitur delirium. In quo flet interdum, mox excandescit: nonnunquam, & sæpius, insolenti gaudio gestit mulier, pro varia qualitate vaporum cerebrũ ferientium, qui vel sanguinei sunt, vel biliosi, vel adusti. Quanquam Aetius hîc negat vaporum ascensum. Sed qualitatem vitiosam ab vtero per spinæ medullam, & alias sibi insertas propagines in cerebrum emitti contendit vtero consistente, non, vt in strãgulatu, superas sedes affectante.

tetrab. 4. serm. 4. capit. 74

2 Nam furoris vterini præcipua, continénsque causa, copia seminis est, qua vasa turgent.

3 Incalescente, titillantéque semine.

4 Ob præstantiam spirituum, leuiter ferientium partes vteri sensibiles. His verò symptomatis corripiuntur, quæ calido temperamento sunt, ætate florentes, virgines, & quæ Veneris consuetum vsum intermiserunt, quæque cibis euchymis & multis indulserunt.

MENSIVM IMMODICE FLVENTIVM NOTÆ. CAP. VII.

D[1]ECOLOR est facies, quum menstrua plura feruntur,
Vẽtriculúsque nouas [2]spernit, veterésque relinquit
Incoctas epulas, auidus quas antè recepit:
Vnde [3]pedum tumor est, ac omnis corporis albus,
Membraque vitali torpent exhausta calore.

1 Floridus color emicat à spiritibus & sanguine. Quum verò, menstruis immodicè fluentibus, cum sanguine spiritus simul exeant, necessum est faciem fieri decolorem.

2 Quia plurimis, iísque crudis abundat humoribus. Etenim in excessu menstruorum, abeuntibus vnà cum sanguine spiritibus

bus languet natiuus calor: ideóque ventriculus quos assumpsit cibos non conficit.

3 Ex mensium immodico fluore nō modò pedes tument, sed & totum corpus œdematosum est, ac turgidū instar leucophlegmatiæ, quia natiuus atteritur calor. Qui quum in visceribus minimus existat, elucere nequit in habitu corporis. Hinc mendosa fit partium extimarum nutritio, in aquas, flatus alicuius participes abeunte sanguine.

FLVXVS MVLIEBRIS A MENSIBVS DISCRIMEN, *& signa. Caput octauum.*

MENSTRVVS hic sanguis, [1] certo qui tempore prodit
Ex vtero, tunicamque, rubens vt purpura, tingit.
At fluor est, quando sanies [2] nullo ordine fertur
[3] Pallida, vel citrina, sed & [4] commixta cruori.
Quæ, qua parte fluit, corrodit, & excitat vlcus,
Quod plerumque graui nares offendit odore.
Interdum [5] lactísque sero, niueóque videmus
Cremori similem ex vtero manare liquorem.

1 Quarta quaque hebdomade, seu quouis lunari mense, qui viginti septem diebus, & tertia ferè diei parte peragitur, mulieres boni habitus per menstrua repurgantur: iuniores quidem vt plurimum increscente, seniores verò decrescente Luna: vnde versus,

Luna vetus veteres, iuuenes noua Luna repurgat.

Aristoteles tamen ab ea sententia deflectere videtur, dū ait profluuium mensium non increscente, sed decrescente Luna contingere: ideóque nonnullos cauillo sexum fœmineum Lunæ tribuere, quoniam ea decrescente purgetur mulier, móxque repleātur ambæ. Quēadmodum & quum asserit, menstrua singulis mensibus paucis moueri, contra vulgarem medicorum opinionem, & mulierum sanarum experientiam, quæ singulis mensibus isthæc ex seipsis effluere summo suo cōmodo profitentur. Quorum periodi causam refert Galenus in naturæ vim, omnia

libro 7. de animal. capit. 2.

libro 2. de diebus decret.

certis legibus administrantis: aut in sempiternos & immutabiles Lunæ cursus: quæ vt luminum varietate, tum crescens, tum decrescens mensem dimetitur: sic hominis, maximéque fœminæ, vt reliquorum etiam omnium humores rata ordinis cõstantia regit atque moderatur.

2 Natura superuacaneos humores regere nequeunte, propter eius imbecillitatem. Etenim ferè fit, vt ad refrigerationem viscerum, obstructionem, & scirrhum (vnde cruditas & cachexia) fluor hic consequatur, & corruptus humor à reliquis corporis partibus procumbat in vterum. Quare frequenter eas mulieres exercet, quæ crudis oleribus, aqua multa, lacte, placentis, libis, laganis, artocreis, & aliis id genus ventrem farciunt.

3 Si talis sanies est crassior, diúque profluit, ante, póstque menses, cum ardore lumborum, virulentæ gonorrhœæ signum est: nec ab vtero, sed à vasis spermaticis origo mali repetenda.

4 Corrosis vteri venis ob acrimoniam humoris: vel apertis ob eius copiam, aut vasorum imbecillitatem. Copiam indicat fluor multus: acrimoniam longus, stillans ac pungens.

5 Hoc fluoris genus in cacochymis mulieribus, iísque præsertim, quæ fœdis coloribus & leucophlegmatia tenētur, existit frequēs. Quod à pituita fieri probabile est, vt citrinum & pallidum à bile. sæpius etiam gonorrhœæ (qua præhenduntur mulieres vt viri) signum est: veræ quidem, quum expers est acrimoniæ fluor: virulentæ, quum graueolens. Sed in gonorrhœa per interualla materia decidit, assiduè verò in vterino fluore.

VTERI DEBILIS INDICIA.

CAPVT IX.

MENSTRVA [1] nigra fluunt & aquosa [2] sine ordine, quando
Debilis est vterus, [3] Venerísque cupidine nulla
Tangitur imbellis mulier, refugítque viriles
Contactus: seménque viri si fortè recepit,
Non retinere diu potis est, atque ocyus infans,
Si concepit, abit, prærepto tempore partus.
Quúmque instāt mēses, grauitas cum pectine crura
Occupat & lumbos, [4] stomachúsque, capútque premuntur.

1 Refrigerato ſanguine.

2 Nempe bis aut ter, ait Aetius, in menſe. Quod in multis annotamus. Nõnullæ verò ſunt, in quibus nec dierum numerus vllus obſeruatur, adeò menſes incerto ordine ſæpe repetunt ac deſinunt. *tetrab. 4. ſermon. 4. capit. 73.*

3 Quæ ſequuntur, vteri frigus indicant, & humoris copiam.

4 Imbecillus vterus, humores è corpore ſuperuacaneos in ſe recipit: vnde ſtomachus, qui propter viciniam & neruos ei con ſentit, imprimis afficitur, itémque cerebrum, elatis ſurſum vaporibus.

INFLAMMATIONIS VTERI SIGNA. CAPVT X.

FERVIDIORE tumor genitus de ſanguine,[1] collum
[2]Afficit, immiſſo digito ſi durius illud
Contrahitur, tactúque facit preſſúque dolorem.
Sin vteri fundo tumor eſt, dolor vrget in imo
Ventre & pube ferox, vrináque[3] tardiùs exit.
Ardor ineſt lumbis ſpinam diffuſus in omnem,
Nec[4] fæces abeunt ſolito de more per aluum.
Inguina tum, coxæque grauant, febríſque calore
[5]Ilias in corpus diffunditur omne malorum.

1 Collum vteri quia muſculoſum, inflammationem concipit. Inflammatum verò ex duritie cum dolore cognoſcitur. Quum enim id duplici ſubſtãtia conſtet, muſculoſa nimirum & cartilaginea: calore, phlegmones comite, ſiccius, ideóque durius efficitur. Dolet etiam, quoniam vi caloris alteratur, & copia ſanguinis, in eius venis capillaribus contenti diſtenditur.

2 Inflãmationis vteri cauſa, tenuis eſt feruidúſque ſanguis, qui è vena caua per exiguas venas in vteri ſubſtantiam illabitur, ibíque collectus putret & accenditur. Cuius dolor in ceruice, ſeu collo maior eſt. Huic enim, vt virgæ maris, cæteríſque quæ ad pudendum ſpectant, nerui plures inſiti, quòd ſenſum abſolutiorem, venereorum ratione poſtulent, vt Galenus animaduertit. *lib. 14. de vſu part.*

3 Compreſſa veſica per vteri dilatationem.

4 Si vteri ſola pars antica phlegmonem concipit, dolor eſt in hypogaſtrio pubéque tactu conſpicuus. Sin poſtica tantùm, ad anum moleſtiæ percipitur ſenſus. Tum enim rectũ inteſtinum arctius eſt, & duriores alui fæces, ob affectæ partis viciniam. Quum autem inflammatio totum vteri corpus occupat, omnes etiam eius partes dolor obſidet.

capit. 83. tetrab. 4. ſermon. 4.

5 Nam, inquit Aetius, dolor capitis, delirium, afflictio ſtomachi, tumor inferioris ventris, diſtentio præcordiorum, horrores diſcurrentes ac pungentes, pedum torpor, genuum perfrigeratio, partium extremarum exudatio, parui denſique pulſus, & animi deliquium, inualeſcente phlegmone contingunt. Hactenus ille. Si verò ſuppurat inflammatio, ſequitur vlcus non rarò depaſcens, & in vlceratum carcinoma plerumque degenerãs, quum hic locus excrementis putrediníque pateat.

DESCRIPTIO CARCINOMATIS, ET EIVS IN VTERO *ſigna. Caput vndecimum.*

CANCER,[1] [2]inæqualis tumor eſt, tactúque renitens,
[3]Luridus aſpectu, turgentibus vndique venis,
[4]Mole grauis, ſaniem, comes eſt ſi forſitan vlcus,
Effundens [5]tenuem, fuſcam, nigramve colore,
Cuius odor teter virus docet eſſe malignum.
Interdum hic vterum [6]mollem depaſcitur, & tunc
[7]Inguinibus ferus ardor ineſt, pecténque piloſus.
Venter & inferior quatitur, lumbíque dolore.

1 Hic affectus ab animali cancro nomen habet. Quod vt aſperum ac durum eſt, & ſi quid forcipibus ſuis ceperit, haud facilè dimittit: ita tumor iſte prominet, tactúque renititur, & ægrè tractabilis eſt, nec ab eo loco, in quo ſemel hæſerit, auelli tollíque, niſi difficillimè, poteſt. Cuius feritas ex eo cognoſcitur, quòd, quo blandiùs tractatur, hoc ſæuior & inſolentior eſt: cuius ideo curationem Hippocrates tentari vetuit.

aph. 38. lib. 6. aph.

2 Cum rotunditate. Pariunt autem hanc inæqualitatem venæ, quæ in ambitu turgidæ, cancri pedum effigiem exprimunt,

vt tumor ipſe cancri corpus.

3 Ob liuidas & nigricantes venas.

4 Quia fæculentus eſt, nec meabilis humor ille, qui cancrum inducit.

5 Nec enim ater hic humor verum pus (quod album & æquale eſſe conuenit) admittere poteſt, quia toto genere præter naturam eſt, ideóque pepaſmi penitus expers.

6 Partes laxæ, molles, & quæ craſſiſſimam materiam promptè ſuſcipiunt, eædem & cancrum facilè contrahunt, inquit Paulus Ægineta. Ideóque quum in omni corporis parte cancer oriri ſoleat, in mammis, vteróque maximè verſari conſueuit. *capit. 26. libr. 4. de re medic.*

7 Per ſympathiam earum partium cum vtero. Cæterùm calor ac dolor quaſi ferientis acus excitari ſolet in cancro, minùs quidem pungens in vlceris experte ſeu ſimplici: magis autem in exulcerato, ſi cauſa ſit, vt ſæpius, atra bilis, ſanguiſve feruidus, ac retorridus. Sin humor melancholicus, frigidus nimirum & ſiccus, nullus caloris doloriſve ſenſus eſt.

MOLÆ SIGNA.
CAPVT XII.

CONCEPTVM primis fallit[1] mola ſæpe diebus.
Menſtrua nam ceſſant, lumbi grauitate premuntur,
Vtraque mamma tumet: ſenſimque attollitur imus
Venter, & appoſitæ pariunt faſtidia menſæ.
[2]Sed dolor hinc veluti pungens, vitiúmque coloris,
Et graciles artus, oneroſum in pectine pondus,
Non motus leuis atque fugax, [3]geſtatio longa,
Duráque pars vteri quando eſt, mola vera putetur.

1 Mola, caro quædam eſt informis, quæ veluti fœtus, in vteri capacitate gignitur, alimentúmque ſumit per venas quas intus habet, nutritur, & augetur more plantarum. Ideo, quemadmodum in conceptu, ſic in mola menſes ſupprimuntur, menſtruo ſanguine in alimentum abeunte: ponderis ſenſus eſt in lumbis, quoniam hi ſubiacent materiæ menſium & molæ corpori: mámmæ turgent, tranſlata illuc ex vteri venis materiæ portione: venter attollitur, quoniam mola pariter ac fœtus incrementum ſu-

mit in vtero, ventri ſubiecto. Fit etiam anorexia, quia dum impletur vterus, inteſtina ſurſum attolluntur, & inferius os ventriculi ſubleuant: inde commouetur bilis, & cibi vel corrumpuntur, vel non digeruntur.

2 Molam à vero fœtu diſtinguũt ſigna in textu ſequentia: quorum hæ ſunt cauſæ. Dolor quidem veluti punctorius exiſtit in mola, corrumpi iam incipiente materia. Nec enim hîc humores, vt in legitimo fœtu natura regit. Fœdatur color, quia natiuus calor, & ſanguis alteratur. Corpus velut atrophia contabeſcit, quia ventriculus & hepar nutriendis partibus dicata languent: ventriculus quidem, molæ pondere preſſus: hepar autem refluente ſanguine quaſi ſuffocatum, vnde fit interdum hydrops. Pondus in pectore, totóque hypochondrio grauans eſt, cùm ob incumbentem molam, tum ob ſuppreſſos menſes. Motus etiam eſt inſtar lapidis, quia mola naturali duntaxat motu cietur, fœtus autem etiam animali. Quamobrem hic calcitrans, ſurſum, deorſum, & in vtrumque latus ferri percipitur, mola tantùm deorſum, ſua nempe mole præcipitata.

3 Mola, quadrageſimo die, tertiove menſe ſæpius excluditur. Per multos etiam annos interdum, & aliquãdo per totam vitam in vtero geſtatur. Hinc ea per ſe mollis, ſcirrhoſum corpus tempore contrahit in vteri regione tactu conſpicuum. Diſtinguitur tamen à ſcirrho. Siquidem hic in vteri ſubſtantia reſidet & cogitur, ab humore craſſo terrenóque genitus. Mola verò non in vteri ſubſtantia, ſed in eius capacitate generationis ſuæ ſumit exordium. Huius enim duæ cauſæ ſunt: efficiens quidem & præcipua, viri ſemen: paucum id, & infœcundum, eo nempe calore deſtitutum, quo perfectè formam hominis abſoluat. Materialis autem, copia menſium ad ſemen accedens, eiúſque formatricem vim obruens.

INFLATIONIS VTERI NOTÆ.

CAPVT XIII.

TENDITVR inferior venter, pecténque tumore,
Pars quoque [1] tenſa dolens imitatur [2] tympana tactu
Flatibus incluſis vtero: quos fœmina tactu
Percipit efferri nonnunquam [3] è ſede verenda.

1 Dolo-

1 Dolore propemodum aſſimili colico : non tanto tamen, quum vterus amplior laxiórque ſit, minúſque doloris ſuſtinens quàm colum.

2 Incluſa vtero flatulenta materia, qualis eſt quæ Tympanitem hydropis ſpeciem parit. Diſtinguitur in hoc, quòd Tympanites totum ventrem occupet: vteri verò flatulentus tumor duntaxat inferiorem.

3 Per vteri ceruicem. Quod idem ſolatium adfert, atque crepitus per podicem in cruciatu colico. Flatulenta namque materia, quæ in vteri vacua capacitate coercebatur, excluſa, tenſio dolórque conquieſcit.

HYDROPIS VTERINI SIGNA. CAPVT XIIII.

PONDVS ineſt vtero [1] grauius, ſi gignitur hydrops.
[2] Nec, velut in tactu, digitis pars dura reſiſtit.
Sed vario motu ſurgens vnda, atque relabens
Fluctuat, & tactu mollem notat eſſe tumorem.

1 Fatulentus tumor minùs grauat, quum aereæ naturæ ſit particeps. Seroſus autem & aqueus (vt qui conſtituit hydropem) eſt grauior, quoniam ad elementaris aquæ ſpeciem, quæ denſior eſt aere, propius accedit.

2 Tumor ille, quem flatus pariunt, digitis non cedit, quia tenditur. Tenditur verò, quia ſicceſcit in eo contentus aer, cùm à motu, tum ab aliquantulo calore. Contrà tumor aqueus ideo tactui cedit, quoniam impensè mollis.

ASCENSVS AC DESCENSVS VTERI SIGNA. CAP. XV.

ASCENSV tumidæ [1] dolitãt præcordia metræ,
[2] Defectus cordis [3] leuis, & dyſpnœa fatigat.
Deſcenſu [4] grauis anus, vt & muliebre pudendum:
Nec facilis lotio datur exitus, atque virilem
Congreſſum [5] metuit mulier, quo ſæpius arſit.

1 Dum enim sursum attollitur vterus, diaphragma premitur plurimum sensile, quia membranosum & nerueum.

2 Presso diaphragmate, difficultas fit spiritus, quoniam arctatur interna thoracis capacitas, ideóque sequitur & animi defectio, corde non satis ventilato.

3 Nam talis ascensus causa flatus est, vapórque tenuis, qui facilè dissipatur ac euanescit. Inde fit vt admota manu calida manifesto deprimatur, inque suam sedem deuoluatur vterus.

4 In vteri descensu grauatur intestinum rectum, & pudendũ. His enim partibus incumbit. Vrina quoque difficulter exprimitur. Siquidem ille vesicã sua mole premit, eiúsque vias occludit.

5 Vtero de sede ꝓpria delapso mulier viriles amplexus reformidat, quia muliebri pudendo, sedi veneris, tum incumbit vterus: cuius corpus crassum est, densum, ac dolorem inducens, ratione fibrosarum partium, quibus is adalligatur intestino recto, vesicæque: quas tendi necessarium est, laxatis ligamentis robustis, quæ illum ossi sacro spinæque cõnectunt. Nihil autem est, quod æquè venerem arceat ac dolor. Siquidem venus est excellens tangibile, natura concessum animantibus, ad speciei cuiusque conseruationem.

SIGNA CONCEPTVS.

CAPVT XVI.

[1]HORROR ab [2]ardenti coitu, semenque retentum,
[3]Suppressi menses, Venerísque [4]remissior ignis,
[5]Os vteri clausum, mãma vtraque [6]turgida, ventris,
Lũborum, laterúmque tumor [7]sine põdere, liuens
Exortis facies maculis, & [8]segnis ocellus,
[9]Nausea, defectúsque leues, anorexia, pica
Conceptum perhibent. [10]Lotio ne fide, nec vllis
Antè notis, fœtum quàm [11]noris sede moueri.

lib. de carn. 1 Mulier quum in ventre concepit, statim, ait Hippocrates, horret, & calor, & dentium stridor consequitur, conuulsio occupat articulos, totúmque corpus, vterúmque segnities ac torpor. Horroris verò causa quum sit multiplex, hic quidem potissi-

tiſſimùm eſſe videtur motus vehemens in vtero, à calido ſemine, quod vterus auidiùs amplectitur, excitatus.

2 Congreſſus auiditas calfacit vterum. Calidior autem vterus attrahit promptiùs, retinétque ſemen, vnde cōceptus fit. Nec verò ſolus calor conceptus eſt cauſa. Sed oſcula vaſorum vteri, per quæ menſes erumpunt, aperiri neceſſarium eſt, quando mulier eſt conceptura. Quod contingit incipientibus, aut deſinentibus fluere menſtruis. Hoc enim tempore, nec multitudine ſanguinis influentis eluitur ſemen, vt quum menſes vbertim & copiosè fluunt: nec ſemen alimento ſuo priuatur. Sanguinis enim veluti rore conſpergitur, cuius aſperitate quadam, ceu viſco, vteri parietibus adhæret, ibíque retinetur in fœtus formationem, vt Galenus ratiocinatur. *libro de vter. diſſect.*

3 Quando concepit mulier, ſupprimuntur menſes, quia ſanguis menſtruus abit in fœtus alimentum. Hos itaque tūc fluere malum. Vnde ſcribit Hippocrates, ſi prægnanti purgationes eāt, impoſſibile fœtum eſſe ſanum. Quanquam nonnullæ ſunt quibus per aliquot, eóſque primos menſes, interdum & per omne geſtationis tempus menſtrua fluunt, incolumi tandem exeunte fœtu. Sed hoc rarum, & his contingere ſolitum, quibus abundè ſuppetit ſanguis. *aph. 60. libr. 5.*

4 Mulier, vt equa, prægnans, non recuſat coitum, præter conſuetudinem omnium animalium, quæ vbi grauida fuerint, fugiunt mares, ait Ariſtoteles. Non tamen ſic expetit, atque quum fœcunda non eſt, quia plenus vterus eo ſemine potitur, cuius antè ſummo deſiderio tenebatur. *libro 7. de animal. capit. 4.*

5 Vtero ſuam omnem contrahente capacitatem, vt ſemen retineat.

6 Portione ſanguinis illuc ex vtero confluente, vnde lac fiat, idoneum exituro fœtui nutrimentum.

7 Mulieribus grauidis tumet venter ſine manifeſto pondere, ſi ſanæ ſunt, quia tumoris cauſa naturalis eſt. Sin tumor eſt præter naturam, vt in vteri ſcirrho vel hydrope: vel earum corpus cacochymia redundat, tumor eſt oneroſus.

8 Quum mulier habuerit in ventre, purus illius ſanguis, inquit Hippocrates, ex toto corpore deſtillat, & in fœtum deſcendit, vnde tota fit cum virore pallida. Quo poſito, non eſt mirum ſi languent illius oculi. Nam, affluente ex vniuerſo corpore in vterum ſanguine, ſpiritus animales, à quibus fit viſio, non æquè vigent. Quandoquidem hi fieri debēt, vt ſolent, ex optimo ſanguine. Qui ſi decumbit in vterum, impurum in plexu retiformi neceſſum eſt elaborari, ex quo ſpiritus animales fiant aliquantulum caliginoſi. *libro 1. de morb. mulieb.*

9 Cordis & ventriculi cum vtero sympathia.

lib.1.fen. 2.cap.10. doct.3. & lib.3. fen. 21.cap.11.

10 Nam imprægnationis ex vrina petita signa valde suspecta sunt, necdum vsu satis explorata, quamuis Auicennas plurima commemoret.

11 Sunt enim præmissa signa probabilia quidem, sed incerta tamen. Etenim supprimi possunt menses à crasso sanguine, vel vteri refrigeratione, vel ictero, vel aliis * antè commemoratis causis. Potest & os vteri claudi à tumore præter naturã, vt phlegmone, scirrhove. Nauseam, anorexiam, lipothymiam, picam inducere vitiosi possunt humores in stomacho ventriculóque stabulantes. In mola mammæ turgent, vigéntque plurima concept⁹ symptomata. Sed ad vteri regionem admota manu calida, si motum percipis lenem, blandum ac ordinatum, quo venter inferior aliquantulum impellatur & attollatur, certissimum habeto conceptus & fœtus indicium.

huius lib. capit.4. part.1.

CONCEPTI MASCVLI SIGNA. CAPVT XVII.

Si gestat fœcũda marem, [1] bene tincta colore est,
Lætaturque iocis, & quum de sede recedit,
Promouet ante pedem [2] dextrum, iecoríq; propin-
Parte vteri fœtum retinet, sentitque moueri (qua
[3] Ocyus, & leuiter dexter [4] micat huius ocellus.
Dextera mãma [5] tumet magis, atq; arrecta papilla est
Nigráque, lac niueum [6] citiùs quàm læua profundẽs,
Illiúsque loci turgescunt sanguine venæ.

1 A calore bonus color & hilaritas. At mulier, quæ marem vtero gerit, calidior est ea quæ concepit fœminam. Etenim à semine quod perfectius mouetur, & calidius est, fit masculus. Ergo lætior, & coloratior.

lib. 14. de vsu part.

2 Partes dextræ calidiores, quia secundum hepatis rectitudinem locatæ sunt, vt scribit Galenus. Ideoque mulier, quæ dextra vteri parte fœtum moueri percipit, magísque tumentem habet dexteram mammam, venas ampliores, eiusdemque loci magis micantes arterias, dextrúmque pedem primùm è sede progressura promouet, sæpius masculum vtero continet: siquidem mas fœmina calidior existit. Quod, vt probabile, sic aliquando fallax.

fallax. Quum enim ſit duplex generationis maſculorum principium, in fœminis quidem dextra matrix, in viris autem dexter teſticulus: è ſiniſtro viri teſte ſemen in dextrum vteri ſinum emitti poteſt, quod quũ ſit imbecillius, fœmellam producet. Fieri quoque poteſt, vt viri ſemen aquoſum, crudum ac lãguidum in frigidæ matricis cornu dextrum effundatur, tumque pariat fœminam. Sed & aquæ crudæ frigidæque ſola potio partum fœmineum efficit, ſit licet in dextram vteri regionem à viro ſtrenuo fœcundum ſemen immiſſum.

3 Conformatur primùm maſculus. Nam à fortiore craſſioreq; genitura fit. idem quoq; mouetur primùm, quia fœmella fortior eſt. Tempus verò principii motus ambiguum apud authores eſt. Nã Hippocrates mares moueri dicit trimeſtres: fœminas quadrimeſtres. *Auicennas verò non tertio menſe quidem, ſed poſt tertium maſculos: poſt quartum fœmellas moueri indefinitè pronunciat. At mulieres, quibus fidem in ſimilibus adhiberi vult Hippocrates, mares quadrageſimo plerumque die: nonnunquam & menſe tertio, additis ad hunc quindecim ferè diebus moueri maſculum: fœminam verò ſæpius medio imprægnationis tempore, nimirum intra quartum & quintum à conceptu menſem ſumere motus exordium aſſerunt, experientia longa confirmatæ. *lib. de natur. puer. & 1. de morb.* **libro 3. fen. 2. tract. 1. c. 13.*

4 Mulierem id noſſe expedit, inquit Hippocrates, vtra mamma ipſi maior eſt: illic enim fœtus exiſtit. Similiter & oculum cõſiderabit. Maior enim, & ſplendidior omnino erit intra palpebram eius partis, cuius mamma maior exiſtit. Vtriuſque ratio hæc eſt. mamma maior eſt ea parte qua geritur fœtus, quia plus ſanguinis in eius venas illabitur: oculúſque ſplendidior atque velocior, quia plures & vegetiores ſpiritus in eum efferuntur ex ſanguine. *lib. de ſuperfœt.*

5 In grauida muliere mammarum venæ turgent, illuc aſcendẽte ex vtero ſanguine. Qui quum in fœtu maſculo velut ebulliat, quandam in papillas, velut in apicem & conum emittit fuliginem, qua nigricant (non vehementi nigredine, ſed ei rubedine permiſta) firmæque ſunt, & arrectæ propter ſiccitatem. Tale quid in fœmineo fœtu vix contingit, quia ſanguis non aſſatur, nec fuliginoſus eſt.

6 Plus enim ſanguinis (à quo natiuus partis calor augetur) influit in mammam dextram, quàm in ſiniſtram, vnde lactis generatio celerior.

CONCEPTÆ FOEMELLÆ SIGNA. CAPVT XVIII.

FOEMINEAM prægnãs vtero ſin fœmina prolẽ
Concipit, effuſos à ſe fugat [1]anxia riſus,
Decolor eſt, vteri pars turget læua, [2]ſiniſtra
Mãma tumet, nimium tamẽ eſt ea [3]mollis, & huius
Flaccida conſpicitur, non firma & recta papilla.
Ex qua lac mulctum [4]citò labitur, inſilit infans
[5]Tardiùs, inque caua [6]leuiter matrice mouetur.

1 Quũ natura frigidior humidiórque viro ſit fœmina, mulieri fœmellam geſtanti duplicatur frigus, quo, denſatis ſpiritibus, intróque ſe recipiente ſanguine, fit illa decolor ac triſtis.

comment. 2. in lib. 6. epidem. part. 42. **lib. 4. de generat. animal. capit. 1.*

2 Si fœtus calidiores in vteri calidiore parte conſiſtunt, vt vult Galenus: frigidiores etiam in vteri frigidiore loco par eſt contineri. Fœmella verò mare frigidior, vt demonſtrat* Ariſtoteles. Ergo vteri ſiniſtra parte continebitur.

3 Nam aquoſum crudúmque lac continet.

4 Lac mulieris geſtantis maſculum, quia ſuſtinet exquiſitam coctionem, moderatè ſpiſſum eſt, album colore, odore gratum, ſapore dulce. Quod quum in vnguem inſtillatur, neque tardiùs, neq; citiùs diffluit, ſed aliquandiu remanet atque conſiſtit velut hydrargyri fruſtũ, aut margaritæ granum, vt loquitur Auicẽnas. Eius verò quæ fœmellam habet in vtero, lac ab his qualitatibus deficit, eſtque tenue, quia crudum: ideóque citò diffluit.

5 Poſt quartum à conceptu menſem.

6 Mas vehementiùs quidem in vtero mouetur: at fœmina celeriùs. Quod à calore non pendet, quum ſit ea mare frigidior, ſed ab animi moribus. Eſt enim oxythyma mulier, ideóque veloces ac ſubitos habet corporis motus.

MORBORVM A CONCEPTV SIGNA. CAPVT XIX.

QVÆ ſine ſuccorum vitio concepit, in omni
Tempore quo grauida eſt, [1]nullis patet obuia morbis.

morbis.
Sin praua humorum plena est, multáque saburra,
[2]Euchymos refugit succos, rabiéque [3]canina
Vult alienorum satiari mole ciborum. (do,
Et nisi purgetur [4]vomitu, aut [5] medicamine blan-
[6]Non bene tum spirat, mens anxia linquitur, atque
Circumfunduntur picea vertigine sensus:
Inguinibúsque dolor, femoríque onerosus vtrique
Hæret, vt & lumbis, & pondere crura vacillant.

1 Mulier prægnans, quæ nullo plethoræ aut cacochymiæ vitio tenetur, nihil offensionis, neque molestiæ toto gestationis decursu perpetitur, quia tum natura nihil habens oppositum in conuenientes vsus singula legitimè disponit.

2 Omnes quidem, sed præcipuè mulieres, & inter eas grauidæ cacochymum habētes corpus, in anorexiam frequenter incurrunt, & euchymos, seu boni succi cibos auersantur. Prauos enim humores in ventriculo congerunt, qui bilescunt putredine. Nihil autem est, quod æquè facilè vertatur in bilem (si calorem aduentitium nanciscatur) ac cibi dulces. Tales sunt euchymi. Quamobrem hos natura vitiosis humoribus turgens fastidit atque contemnit, eorúmque loco cibis alienis & peregrinis, vt acidis, austeris & omnino vitiosis oblectatur.

3 Pica, seu malacia nominatur hic affectus. Quo grauidæ mulieres vitiosos cibos, & interdum à natura penitus abhorrentes, vt terram, testas, carbones, pannos veteres, putria coria, crudas carnes, & similia his, à secũdo ad quartum ferè gestationis mensem expetunt. Caninam famem æmulatur in appetendo, fitque nonnunquam ab eadem causa, licet valentiore.

4 Qui frequens esse solet in pica. Nec enim tam varios humores, innatantes in ventriculo natura potest concoquere. Qui quum ab aduentitio calore turgeant, superius eius os appetunt, vomitionéque reiectantur.

5 Prægnantes cacochymæ repurgari debēt, vt gestationis tem pore minus sentiant incommodum, earumque fœtus defæcatiore nutritus sanguine, magis à morbis vindicetur. Lene verò debet esse medicamentum, nè commotis nimiùm humoribus, fœtus in vitæ discrimen adducatur. Maius autem vitæ periculum subit primis, postremísque mensibus. Primis quidem, chorio membrana (secundinam appellant) imbecilliore, nec vtero

per cotyledones satis firmiter alligata. Postremis autem, eadem quasi sua sponte dilabēte: quemadmodum accidit arborum fructibus, qui prima generatione pediculis infirmis continentur, & vbi perfectè maturuerūt, minima, vel nulla vi decidunt. Quare iubet Hippocrates medio tempore, quarto videlicet ad septimum vsque mensem, turgente materia, pharmacum dari prægnantibus. Tum enim vehementiores motus sustinent: nec tantus metus est exclusionis cōceptus, quum membranæ fœtum inuoluentes vtero longè firmiùs inhæreant.

libro 4. aph. 1.

6 Hæc symptomata contingunt à retentis humoribus, qui vacuatione debebant eximi.

[1]ABORTVS FVTVRI SIGNA. CAPVT XX.

LAC fluit è mammis[2] aqueum, si perditur infans.
Quæque priùs tumidæ fuerant, [3]gracilescere mammæ
Cernuntur, [4]ventris regio, laterúmque minor fit.
Sunt lumbi, coxæque graues, validéque moueri
[5]Assolitus fœtus, [6]raró, lentéque cietur.
Emanat primò [7]sanies commixta rubori,
Purior hinc sanguis, tum [8]grumi sanguinis atri,
Eque locis tandem fœtus muliebribus exit.

1 Abortus, est immatura violentáque fœtus exclusio. Cuius multæ sunt euidentes causæ, vt metus, mœror, inedia, sanguinis immodica profusio, diarrhœa, febris acuta, saltatio, durior equitatio vectióque, & quæuis exercitatio vehemens, grauioris oneris gestatio, vocis contentio, casúsque violenter concutiens. Quæ si desint, & mulieres bimestres, aut trimestres abortiunt, his, inquit Hippocrates, acetabula muco plena sunt, nec possunt præ grauitate fœtum continere, sed abrumpitur.

aph. 45. libr. 5.

2 Ob imbecillitatem coctricis mammarum facultatis.
3 Ob attractricis impotentiam.
4 Quum abortiendi tempus imminet, venter superior, & hypochondria contrahuntur: hypogastriū autem, seu venter inferior cum lūbis expandit se atque dilatat, quia fœtus cum reten

to ſanguine deorſum præcipitatur.

5 Quum ſanus erat.

6 Quòd opprimatur à vicini ſanguinis qualitate vel copia: vel quòd natiui caloris penuria langueat.

7 i. aqua ſanioſa, loturæ carnium aſſimilis.

8 Grumi ſanguinis, qui excludũtur in abortu, rubent magis, ſi fœtus viuit, quum adhuc natiuo calore tepeat. Sin is extinctꝰ eſt, nigreſcunt, cùm ab aduentitio calore putrentis iam fœtus, tum ab extincto calore natiuo.

8 In vero partu fœtus primùm exit, expultricis facultatis vi: fœtus exitum quærentis, & matris ad eius excluſionem adnitentis robore. Quorũ imbecillitate poſtremò ſequitur abortus.

FOETVS IN VTERO MORTVI SIGNA. CAPVT XXI.

EXTINCTVS grauida fœtus retinetur in al-
Si dolor eſt[1] oculis, capiti,[2] cordíq; moleſtꝰ, (uo,
Defectúſque frequens, &[3] teter anhelitus, horror
[4]Febrilis, ſimiliſque ſacri conuulſio morbi,
Venter & inferior[5] gelidus pendere videtur,
Nec profert vteri ceruix contacta calorem.

1 Vteri ſympathia cum his partibus.

2 Per dolorem cordis, cardialgiam, ſeu cardiogmum intelligimus, oris ventriculi ſymptoma. Quod (vt leipothymia, quam defectus nomine deſignamus) frequens eſſe conſueuit extincto fœtu, cùm ab humoribus in vtero commotis per vteri dilatationem, tum à corrupti fœtus vapore ſtomachum feriente.

3 Mortuo in vtero fœtu grauida fœtidum expirat. Is enim breui corrumpitur: vnde putridi vapores ſurſum elati per os exeunt. Cuius halitus graueolentiam interdum ſentit & mater, quum in priores cerebri ventriculos, odoratus ſedem, aura putris aſcendit, & eoſdem inficit.

4 Putridis ex fœtu vaporibus, cor & humores inficientibus.

5 Quum extinctus in vtero fœtus eſt, venter inferior, cui ſubiacet vterus, & vteri ceruix admota manu frigent, vel quia natiuus calor in fundum abiit, vt ſe putredini fœtus opponat: vel quia calor ita paucus eſt, vt externis partibus calefaciendis nequeat ſatisfacere.

DIFFICILIS PARTVS [1]INDICIA. CAPVT XXII.

QVÆ paritura breui eſt, & [2]aquas, roſeumve cruorem
Ex vtero, partu fieri nequeunte, profundit.
Quæque [3]leues patitur, nec valde ſæpe dolores,
Ægriùs in lucem producit fœmina fœtum.

1 Partus difficultas his quidē paucis notis agnoſcitur, ſed à pluribus cauſis efficitur, vt mala conformatione matris, breuitate corporis eiuſdem, & virium imbecillitate, dolorū in parturiedo metu, mala conformatione tum vteri, tum ceruicis eiuſdem, aut eorumdem anguſtia, firmiore oſſis pubis cōpactione, calculo veſicæ, ſiccis in inteſtino recto fæcibus, & lūborum cauitate. Contingit etiam interdum imbecillum fœtum matri non opitulari: membranas, quibus continetur, ſolidiores abrumpi non poſſe: geminum, aut monſtroſum, aut grandiorem eſſe, nec rectà in caput ferri, ſed eum vel ambos pedes, vel vnum dūtaxat, manumve proferre primùm, vel duplicari, vel alterutrum latus, aut ventrem exhibere. Quæ medicos aſtantes non mediocriter angunt: chirurgis autem & obſtetricibus maximum adferunt negotium, matríque & fœtui ſæpius exitium.

2 Allātoides mēbrana, lotium iam efformati fœtus in ſe recipit & continet ad partus tēpus, vt id cum fœtu ſimul exiens, trāſitū ei facilem ac lubricum præbeat. Quod ſi totum effluit priuſquā fœtus excludatur, viæ fiunt ob ſiccitatem aſperæ, per quas ideo ſummo labore fœtus egreditur. Idem contingit, ſi ſanguis multus exeat ante partum.

3 Inſtante partus tempore, ſi fœtus ſe valide mouet, manibus pedibúſque calcitrans, frequentes dolores vrgēt, partúſque facilis ac repentinus eſt. Nam illum inuoluentes membranæ citò rumpuntur, híſque ruptis foras exilit. Sin is parum & inualidè ſe explicat, languidi dolores, & ex longioribus interuallis recurrentes fiunt. Etenim cotyledones (acetabula vocant) abrumpūtur ægriùs, víxque chorion ab vtero diducitur.

[1]EXANTHEMATVM INDICIA. CAPVT XXIII.

ERVMPENT illis papulæ, quibus [2]oris hiatus
Crebrior, [3]expāſæq; manus, corpúſq; per omne

[4]Punctio, cum querulo [5]capitis[6]dorsique dolore:
[7]Raucáq; vox, faciésq; rubẽs, [8]lachrymæq; profusæ.
[9]Spiritus haud facilis, naris [10]pruritus, & auris,
Et [11]pauor in somnis tremulus, febrísq;, sitísq; est.

1 Exanthemata, & ecthymata, Græci vocant eruptiones leues, efflorescentes in cute: quas Latini papulas appellant. Hæ plures sortiuntur differentias. Quædam enim rubræ, flauæ, pallidæ, violaceæ, liuidæ, nigræque conspiciuntur, pro humoris qui in cutem erumpit, colore vario. Quædam in fastigium attolluntur & extuberant: aliæ deprimũtur & latæ sunt, vt plus minusve caloris obtinet hæc, ex qua fiunt, materia. nonnullæ sine dolore sunt, sine pruritu, sine vlcere: quædã contrà pruritum excitant, & summũ inferunt scalpendi desideriũ, cutim exasperant, rodunt & exulcerant, saniéque virulenta plerumque sordescunt. Aliæ porrò malignæ sunt & exitiosæ, vt quæ pestilenti constitutione grassantur, quæ febribus acutis superueniunt cum symptomatũ exitialium syndrome, quæq; sub mortem, & in morte certis corporis partibus excitantur: quæ, quia rubræ sunt, purpuræ nomine vulgo designantur. Aliæ critico modo nascuntur, quales in Synochis febribus interdum animaduertimus. Quales etiam variolæ, morbillíque sunt. Quas maculas rarissimè senibus & viris, frequentiùs iuuenibus & adolescentibus, frequentissimè pueris & infantibus apparere solitas, ex menstruo gigni sanguine, qui poris corporis inhæsit, & robore naturæ tandem excluditur, Arabum fert sententia. Quo fit, vt earum post muliebrium affectuum notas explicatas, hoc capite meminerimus.

2 i. oscitatio.

3 i. pãdiculatio. Quæ fit cõtento in musculis vniuersis (vt oscitatio in musculis inferioris maxillæ) vaporoso spiritu, vt passim annotat Galenus. *comment. 5. ad part. 4. libr. 6. de epid. et comment. aph. 56 libr. 7.*

4 Ob humores acres in cutem elatos, cuius densitate coguntur, & in papulas abeunt.

5 Putridis vaporibus eò delatis cũ sanguine: siquidem ad sanguinis copiam, vitiúmque, papularum est causa referenda.

6 A repletione venæ cauæ, quæ dorso subiacet, inquit Auicennas. **lib. 4. setrab. 4.*

7 Liquata vi caloris febrilis in cerebro pituita, eáque in fauces decumbente. Vel excitatis exanthematis in vocis organis. Interdum enim guttur, pulmones, intestina, cum aliis partibus interioribus his scatere deprehenduntur.

8 Inuoluntariæ sunt hæ lachrymæ, quæ non tam ab imbecil-

la retentrice, quàm ab orgaſmo funduntur.

9 Si papulæ ſunt mali moris, non modò ſpirandi difficultas vrget, ſed ingens febris, æſtus, iactatio corporis, animi deliquiũ frequens, & alia generis eiuſdem pernicioſa ſigna ſe proferunt.

10 Acrioribus per febrem redditis excrementis, quæ intra nares reſidunt.

11 Ob agitationem animalium ſpirituum, qui ſunt in pueris (quos hoc affectu præcipuè teneri diximus) imbecilli.

[1]ARTHRITIDIS SIGNA.

CAPVT XXIIII.

SI [2]capitis grauitas ſegni comitata veterno eſt,
Et tumor occipitis ceræ inſtar mollis, & albus:
Aut dolor, inuerſis ſolitus [3]ſæuire capillis,
[4]Denſaque, quæ caluam ſuperat cutis, atq; deorſum
[5]Frigidus, atque [6]ſero ſimilis delabitur humor,
Ceruicem feriens, humeros, cubitóſq;, [7]manúſque,
Vel dorſum incuruum, coxámq;, genúque, pedéſq;,
Humidius caput eſt gemebũdæ Arthritidis author.
Sin hæc ſigna latent, & protinus icta dolore
Pars tumet, atque leui pallet cum febre, rubetve,
Cauſa mali iecur eſt, & [8]turgida vena cruore.

1 Arthritis, communis omnium articulorum dolor eſt. In cuius initio articulorũ vincula, & quæcunque ex oſſibus orta ſunt, & in oſſa inſeruntur, dolere incipiunt. Quumque malum auctum eſt, ſuturæ capitis, vertebræ ceruicis dorſique dolent, oſſiſq; ſacri poſtrema pars. In articulis tofacea quædam coaleſcunt. Renibus & veſicæ, naribus, auribúſque communicatur malum, vt nihil ferè ſit in toto corpore doloris expers, inquit Aretæus. Quod morbi genus, vt acerbitate doloris horrendum: ſic, ſi radices egerit, tam infauſtum in curando, vt in eorum numerum aſcribatur, quæ vulgus appellat medicorum opprobria. Cuius cauſa, vitioſus humor eſt in articulis fluxione primùm, deinde congeſtione cumulatus.

2 Capitis grauitas & in ſomnium propenſio plenitudinis ſignum eſt, aut pituitæ redundantis. Vtrum verò ſit, cognoſcitur ex plethoræ pituitæque ſignis expoſitis lib. 1. Sed tumor œdematoſus ſupra caluariam, pituitæ dominium imprimis oſtẽdit,

ma-

cuius erit certissima coniectura, si capitis pondus & coma concurrunt.

3 Calfacta putredine pituita, quæ radicibus pilorum inhæret.

4 Cutis, quæ supra caluam, seu cranium est, si dēsior est quàm par sit, pituitosum humorem inter hanc & pericranium inclusum, quamuis serosum ac tenuem, foras exire nō patitur. Quem per summa corporis sub cute deorsum decurrere, arthritidémque parere, multis rationibus conficit doctissimus Fernelius.

5 Solum humorem frigidū Arthritidis causam statuit, non tantùm ex neotericis Fernel. sed & inter veteres medicos eximius scriptor* Aretæus. Quorum rationes etsi maximi momēti sunt, superat tamen eorum opinio, qui varios humores Arthritidem efficere cōfirmant. Nos verò duplicem Arthritidis fontem agnoscimus, cerebrum & hepar: viámque fluxionis à cerebro, quam nō minus acutè quàm verè statuit eruditissimus Fernelius, & humoris speciem admittimus. Sed & varios humores ab hepate venísque in articulos influere, cum Galeno, cæterísque priscis authoribus consentaneum iudicamus. Etenim, color albus aquæ inter cutem similis, tumor œdematosus, dolor mediocris ac ferè nullus, exacerbationes, si quæ sunt, quotidianæ, pituitæ. Color rubens, dolor pulsatorius, tumórque partis & venarum, sanguinis. Color pallidus aut citrinus, dolor acer, tumor ferè nullus, exacerbationes tertianæ, bilis. Color plumbeus, frigoris sensus, dolor profundus scalpelli perforantis instar, accessiones quartanæ, melancholiæ dominantis indicia sunt, in articulorū affectibus reperiri solita. Quæ varietas humorum, non solùm ex signorum multiplicitate, sed etiam curandi varia forma cognoscitur. Nam, Arthritidis à pituita curatio, phlegmagogo pharmaco, & discutientibus admotis: à bile cholagogo, & topicis anodynis: à sanguine phlebotomia: melanagogis á melancholia perficitur. Cur autem à variis humoribus lacessantur articuli, facit partium mittentium robur, recipientium imbecillitas, & ab imbecillitate laxitas, itémque tenuitas humorum influentium. An verò cerebrum, iecurve causa sit, cognoscitur ex signis in textu commemoratis.

lib. 6. pathol. c. 18.
**lib. 2. de sign. & caus. diuturn. morbor. ca. 12.*

6 Nempe tenuis. Tenuis autem est quum influit. Quum verò delituerit in articulis diutiùs, crassior ac viscosior efficitur, tophísque seu nodis, quibus dissiliunt articuli, præbet generationem.

7 Tres sunt Arthritidis species, ischias, podagra, chiragra. Si dolor à poplite vel tibia transit in cotylam, seu coxæ cauum, aut clunem, aut lumbos tantùm, ischias est. Sin magnum pedis digitum dolor primùm occupat: rursum calcem in priori parte

qua nitimur: deinde cauum: & postremus omnium intumescit malleolus, hic affectus, ex Aretæo, podagræ nomine designatur. Si soli manus articuli dolent, aut simul afficitur cubiti flexura, talis affectio chiragra propriè nuncupatur. Quum in omnibus hisce partibus sæuit dolor, Arthritis est: quam à podagra principium sumere solitam esse scribit Galenus.

comment. ad aph. 28. lib. 6. aphorism. 8 Qua, venæ sectione depleta, tollitur, aut saltem minuitur dolor, per reuulsionem suspensa materia, & impedita noua fluxione.

[1]ELEPHANTIASIS SIGNA.

CAPVT XXV.

VISCERIBVS clausum retinens inamabile virus
Fœda [2]Leontiasis, leuibus se prodere signis
Assolet imprimis, nec aperta clade minari.
Namque quies, aliis quæ vix reperitur in ægris,
Hîc [3]trãquilla datur, [4]placidus sopor occupat artus,
Luxuriosa [5]placent Veneris commercia blandæ,
Estque, velut sanis interdum, [6]durior aluus.
Dein stupet, & gelido violatur [7]frigore sensus:
[8]Nec flos ille manet, qui viuidus esse solebat,
Sed [9]flauo cutis est, [9]albo, [9]nigrove colore.
Sæuius at gliscente malo [10]grauis halitus exit,
[11]Raucescit quoque vox, lotium [12]turbatur & albet.
[13]Liuet, & [14]obscœnum facies malé tincta, tumorem
Induit, & partes naturæ lege pilosæ
[15]Glabrescunt, flauent oculi, [16]fixique tenentur,
[17]Lucentésque minùs, curuum [18]sinuãtur in orbem.
[19]Cõtrahitur quoq; frõs, multísq; fit [20]aspera rugis.
Lingua tumet [21]varis, & ei vtraque subdita vena
[22]Nigricat: est [23]lichen q̃ psora & [24]lepra sequuntur.
[25]Incubus exercet, [26]terrent vaga somnia, mœror
[27]Assiduus comes est, humeri [28]panduntur vt alæ,
[29]Spiritus est tardus, pulsus quoque: denique sensus
[30]Deperit, & cana maculatur [31]grandine corpus.

1 Ele-

1 Elephãtiasis, totius substantiæ morbus est. Nam terrenus ac melancholicus humor, eius materia venenatam qualitatem asciscens, visceribus primùm, deinde partibus omnibus contagiosum virus impertit, quo demum inquinatæ, terrenum hunc ac melancholicum succum, vel ex purissimis alimentis gignunt, eiusdem veneni participem: eóque partes imbutæ, nutritæque, tempore similem nanciscuntur naturam.

2 Affectus hic multiplex nomen habet. Sæpius quidem Elephantiasis appellatur, quia cum Elephante bellua cõmunia multa sortitur, quæ longo disertóque sermone percurrit Aretæus. *lib.2.de sign. & caus.diuturn. morbor. c.13.* Vocatur & Leõtiasis, quia quisquis in hunc morbũ incidit, pluri mas in fronte rugas, easque irati leonis instar ad supercilia contractas habet. item & Satyriasis, ob malarum ruborem, & inexplebilem impudentémque coeundi libidinem, Satyris quondam familiare vitium. Herculeus denique, quoniam eo nullus est maior neque valentior. Summam enim ad mortem inferendam vim obtinet: quippe cuius & mortis eadem origo est, primigenii nimirum humidi ab alieno calore depopulatio, quam omnium partium terrena siccitas consequitur.

3 Sanguine crassiore nondum malignam qualitatem adepto.

4 Ex copioso sanguine quo redundant elephantici, vapores in cerebrum efferuntur, qui maligna qualitate nondum impressa, blandi, placidum ac tranquillum somnum conciliant. Nam, aucto demũ affectu, molestissimus est somnus, materiæ somniferæ corruptione: vel vigiliæ premunt ab humoris acrimonia, siccitate, malignitate.

5 Ob salsos humores qui pruritũ excitãt flatulentósq; spiritus.

6 Quia viscera sicca, cæteræque corporis partes aridæ (plurimum enim terrenæ fæcis ac fuliginis habent, vnde corpus vniuersum colore fusco, nigróque sæpius obscuratur, & est vmbræ, mortíque simile) omnem humiditatem imbibunt.

7 Quo torpet vniuersa quidem cutis, sed maximè pedum, ob humorum crassitiem, continuitatem spirituum intercipiẽtem.

8 In elephãtico non est floridus color, quia non concoquitur alimentum, sed raptim à partibus attrahitur, ideóque nec sanguis laudabilis, nec vegeti spiritus fiunt.

9 Ex his tribus coloribus tres elephantiæ differentias statuunt, subflauam, albam, nigram: vt prima sit ab assata flaua bile: à salsæ pituitæ dominio secunda: tertia humorem atrabiliarium, habeat suæ generationis authorem: qui pessimus omnium ac fœdissimus est. Erodit enim exedítque veram cutim, & ferinis vlceribus vniuersum corpus implens, extrema putredine consumit. Quartam his speciem addunt nonnulli, quæ subrubicun-

da nominari potest, à melăcholico limosoq; sanguine nata, hoc mitior cæteris, quo sanguis reliquos humores bonitate superat.
10 i. putridus, qui contagione serpit in alium. Nam elephanticorum corrupta spiritus exhalatione, & vlcerũ virulentorum fœtore vicinus inquinatur aer: quem quum haurire necesse sit, eos quoque contingit elephantiæ labe conspurcari, qui cum elephăticis assiduè versantur. Quamobrem his meritò cœtu hominum interdicitur.
11 Crassescit enim, exasperatúrque grandinosis varis arteria aspera cum gutture.
12 Quum sanguis in elephătiasi crassus sit, instárque fæcis turbidus, illius quoque serum, nempe lotium, crassum ac turbidum fieri par est: quamuis interdum sit tenue, non naturâ, sed obstructis renum meatibus. albũ etiam apparet, quia crudus sãguis.
13 Liuet elephanticorum facies, quia refriguit sanguis. Refriguit verò, quia non difflatur ob cutis crassitiem, qua pori non aperiuntur.
14 Etenim mentum malæque crassescunt, & liuido rubore tinguntur: in eisque, vt reliqua facie tumores extuberant, labra tument & inuertuntur, supercilia prominentia, prædura, glabráq; sunt, deorsumq; pŏdere vergentia. Crassescũt & alæ nariũ, & rimis discerptæ, pustulas nigras atq; cruentas excutiũt. Quinetiam interdũ erosa cartilagine nasus excidit, deformi spectaculo.
15 Nec enim aluntur, nec gignuntur pili, ob cutis densitatem & frigus.
16 Ab humorum & spirituum animalium siccitate.
17 Elephanticorum crassiores sunt humores: quamobrem & spiritus. Hinc oculi caliginosi sunt, eorumque candidum mira densitate, velut vngue tegitur.
18 Oculorum figura sphærica, seu rotunda semper quidem est, sed in eis minùs conspicua, quibus est sensuum integritas. Horum enim animales spiritus emicant, qui suos radios hinc inde variè spargentes, intuentium aspectum disgregant. Elephanticis autem oculorum rotunditas euidentiùs apparet. Eorum quippe crassescunt spiritus, nec radios emittunt. Quod ex Sole demonstrari luculenter & apertè potest: qui quum serena luce se nobis ostendit, globosam suam effigiem aliquantulum celat. Noster enim oculus in illius aspectu caligat, & lumine radiorũ obruitur. Cùm verò spissus ac nebulosus est aer, aut nubecula quædã interponitur, tum eius rotũdum schema facilè dignoscimus.
19 Instar rugosæ pellis Leonum: vnde Leontiasin hunc affectum appellari priùs meminimus.
20 A siccitate. Cuius signa magis elucent in fronte: quoniam hæc,

hæc, ferè tota cutis est, non, vt verus musculus, carne munita, qua possit natiuam suam humiditatem tueri.

21 Quum lingua supra musculos omnes laxa raráque sit, in eadem grandinosa tubercula præcipuè tanguntur & inspiciuntur. Quare, qui Suum lepram explorant, solam linguam intuentur, & attingunt, ex eáque vel morbosa, vel sana, de reliquo corpore simile ferunt iudicium.

22 Omnes venæ sanguinem atrum in elephantiasi continent. Ideo nigrescere viderentur omnes, si non cutis densitas impediret. Linguæ verò corpus maximè rarum ac porosum est. Quámobrem eius venæ perspicuè nigrescunt.

23 Malè affecta cute ob copiã vitiosi succi, qui nequit assimilari.

24 Græcorum, non Arabum. Nam illorum lepra gradus tantùm est ad elephantiasin. Arabes autem elephantiasin Græcorũ, lepram appellant, vt & nos vulgo. Quæ confirmata curari non potest, quum ea sit vniuersi corporis cancer.

25 Oppressi lienis tumore.

26 Atro vapore, vel potiùs fumo cerebrum peruadente.

27 Melancholiæ dominantis signum pathognomonicum.

28 Consumptione partis inferioris musculi trapezitæ, vt genius Hippocratis Ludou. *Duretus animaduertit. *comment. in Holler. cap. de elephantiasi.*

29 Respiratio fit per musculos. Qui, quum in hoc affectu lentè moueantur ob stuporis sensum, respiratio quoque necessariò tarda fit, ac difficilis. Tardatur etiam pulsus, quia refriguit sanguis.

30 In elephãtiasi confirmata, sensus cutis omnino perit, quia densata tum est, & frigore quasi glacie coaluit. Quare nerui molles, tenues, & quasi fibræ quæ per eam disseminantur, ita coguntur atque crassescunt, vt spiritum non recipiant animalem. Motus autem etsi stupet, non tamen interit: quia natiuus calor in musculis conseruatur, cuius munere nerui, qui motui destinantur, minus offensi, spiritum animalem excipiunt ac retinent. Musculi namque, præter carnosam substantiam, venas & arterias in se continent, quarum spiritibus & sanguine nutriantur, viuant & incalescant. Cutis autem siccior & frigidior est, vtpote mediam inter carnem neruúmque naturam adepta. Cui nec venæ nec arteriæ sunt, sed in eam illarum tantùm extrema subeunt. denique partium omnium est imbecillima: siquidem totius corporis excrementa recipit, & interioribus, externísque patet iniuriis. Nec tamen sicut in musculis motus, ita sensus est, sed in his velut in cute pariter amittitur. Quamobrem, qui volunt elephãticum experiri, acum altius in corpus adigunt. Ex cuius punctura si nullus doloris sensus excitatur, elephantiasin

ſolutam eſſe pronunciant: ſin ſecus, minimè.

31 In eo morbo, quem hoc capite perſequimur, craſſus ac fæculētus humor vel è liene refluit in hepar: vel in hepate genitus, & venoſum genus implēs, in ſingulas corporis partes illabitur in alimentum. Vbi quum nequeat aſſimilari, frigore cogitur & candicat. Quamobrem aſſimilatrice vi languida, cōgeſto in quibuſque partibus humore, corpus omne verrucis, grādinem æmulantibus ſcatere conſueuit, vt in ſuibus deprehenditur. Tales autem verrucæ conſummato iam affectu cernuntur, ſuntque ſignum elephantiæ pathognomonicum.

LIBRI QVARTI DE *ſignis morborum* Finis.

Errata ſic emendantur.

Pag. 6, verſu 17, lege *ſedatur orexis*. Pag. 15, 38, *declinationis*. P. 25, 12, *Aures*, non *Nares*: quamuis ad vtrumque ſe dicta ibi ratio poſſit extendere. P. 34, 6. *Ephialtes*. P. 118, 34, *ſomnum*.

AD FRANCISCVM DV PORT IACOBVS ab Amarantho Medicus Parisiensis.

Innumeros nuper mediјs è faucibus orci
Eripis, & clarum, Portue, nomen habes.
At quum speratis minui se Dis videt vmbris,
Sollicitat Stygios in tua damna canes.
Fama volat totam mendax effusa per vrbem,
Te rapida pressos arte leuare lue.
Sic illi, placuit quibus impostura, relinquunt,
Turbáque te sequitur, quàm fuit antè, minor.
Sed tua tum virtus multis concussa procellis
Emicat, egregiúmque hac duce condis opus.
Condis opus, quod non tempus delebit auarum,
Nec, qui consumit plurima, liuor edax.

ADESTE ſacra vos medentium turba.
Portæus ecce, quem medicum ſacrauiſtis,
Veſtræ prophanans artis abditas dotes,
Arcana vulgat, ſignáque & notas morbi,
Impune ludit inter immeritum vulgus.
Adeſte, & in ius ducite hunc reum raptim.
Eheu, quid aio? Præmiis virum contrà
Ornate quantum maximis decet. Namque
Quotquot latentes repperit notas morbi,
Monente Phœbo publicis notis mandat.
Pro formularum tam pio velut furto,
Quas ille medicorum à ſchola ad populum defert,
An Flauiana fortè præmia expectat:
Tribunus, Ædilis, Senator vt fiat?
Quanquam ſi vtrinque conferenda ſint dona
Tanto altiore præmio putem dignum
Hunc, qui popello præbet has notas morbi,
Quanto cuique dulcior bonis vita,
Quantóque litibus execratior morbus.

Ioannes Iacquerius Pariſ.

ALIVD.

Corporis humani latebroſo carcere clauſi
Hactenus affectus non potuêre capi.
Nec medicina fuit diuinum credita munus,
Quæ ſæpe incertam perfida ferret opem.
Portæi at menti radios immiſit Apollo,
Queîs morbi cauſas, ſignáque certa daret.
Cernimus hinc cæco latitantes corpore morbos,
Cernitur vt tenero lucida forma vitro.

Chriſt. Vinc.

ALIVD AD LECTOREM.

Affectus cuiuſque notas Portæus ab illis
Deduxit, per quos nunc medicina viget.
At, ſi fortè velis cauſas reperire notarum,
Portæi vnius perlege, Lector, opus.

L. D.

INDEX RERVM IN HOC OPERE NOTANDARVM: IN QVO PRIOR numerus paginam, posterior lineam designat.

FINIS.

